ACTA ET DECRETA

QUATUOR

CONCILIORUM PROVINCIALIUM CINCINNATENSIUM

1855-1882.

Adjectis Pluribus Decretis, Rescriptis Aliisque Documentis.

CINCINNATI:
TYPIS BENZIGER FRATRUM,
SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHORUM.
MDCCCLXXXVI.

1886

CONSPECTUS

RERUM QUAE IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

CONCILIUM I.

Pagina.

Epistola Dedicatoria ---- 5

Acta Concilii.

Conventus Praeparatorius ---- 7

Sessiones Solemnes.

Sessio Prima ---- 9

Sessio Secunda ---- 18

Sessio Tertia ---- 24

Acclamationes ---- 26

Decreta Concilii ---- 28

Epistola Patrum ad S. Pontificem ---- 34

Epistola S. Pontificis ad Patres Concilii ---- 36

Instructio S. Congr. circa Decreta Concilii ---- 40

Appendix ---- 43

CONCILIUM II.

Acta Concilii.

Sessiones Solemnes.

Sessio Prima ---- 51

Sessio Secunda ---- 56

Sessio Tertia ---- 58

Acclamationes ---- 59

Decreta Concilii ---- 61

Epistola Patrum ad S. Pontificem ---- 65

Epistola S. Congr. circa Decreta Concilii ---- 69

Epistola S. Pontificis ad Patres Concilii ---- 73

Litterae Patrum ad Clerum Populumque ---- 76

CONCILIUM III.

Prooemium ---------- 103
Acta Concilii.
Congregatio Praeliminaris ---------- 105
Sessiones Solemnes.
Sessio Prima ---------- 107
Sessio Secunda ---------- 115
Sessio Tertia ---------- 113
Acclamationes ---------- 119
Decreta Concilii ---------- 121
Litterae Patrum ad S. Pontificem ---------- 127
Decretum S. Congr. circa Decreta Concilii ---------- 130
Appendix.
Ritus Servandus in Expositione SS. Sacramenti ---------- 134
Modus Excipiendi Prof. Fidei a Neo-Conversis ---------- 138
Litterae Patrum ad Clerum Populumque ---------- 141

CONCILIUM IV.

Approbatio ---------- 159
Acta Concilii.
Litterae Cardinalis Simeoni ---------- 160
Litterae Indictionis ---------- 161
Congregationes Preliminares.
1. Episcoporum ---------- 163
2. Omnium Synodalium ---------- 164
Decretum de Silentio Servando ---------- 171
Decretum de Aperiendo Concilio ---------- 173
Decretum de Professione Fidei Emittenda ---------- 173
Decretum de Praejudicio non Afferendo ---------- 174
Decretum de Methodo Vitae ---------- 174
Decretum de Officialibus Concilii ---------- 176
Decretum de non Discedendo ---------- 177

Sessiones Solemnes.
Sessio Prima ---------- 178
Sessio Secunda ---------- 190
Sessio Tertia ---------- 198
Acclamationes ---------- 200
Decreta Concilii.

TITULUS I.

De Fide Catholica.

Caput Unicum ---------- 203

TITULUS II.

De Disciplina Ecclesiastica.

Caput I. De Vita Sacerdotali ---------- 204
" II. De Vestitu ---------- 205
" III. De Residentia ---------- 206
" IV. De Examine Ordinandorum ---------- 206
" V. De Examine Neo-Presbyterorum ---------- 208
" VI. De Concionatoribus ---------- 209
" VII. De Collationibus Theologicis ---------- 210
" VIII. De Communione Infirmis Administranda ---------- 211
" IX. De Funeribus ---------- 211
" X. De Vicariorum Officiis ---------- 212
" XI. De Decanis Foraneis ---------- 212
" XII. De Negotiis Saecularibus ---------- 213
" XIII. De Litibus Clericorum in Foro Civili ---------- 214
" XIV. De Locis Clerico Vitandis ---------- 214
" XV. De Abusu in Rebus Ecclesiast. Evulgandis ---------- 214

TITULUS III.

De Bonorum Ecclesiasticorum Administratione.

Caput I. De Auxiliariis Laicis ---------- 215
" II. De Ratione Reddenda ---------- 216
" III. De Pecuniis in Depositum Datis ---------- 218
" IV. Salaria Sacerdotum ex Aerario Ecclesiae sunt Solvenda ---------- 219
" V. De Ecclesiis, Oratoriis, etc., Aedificandis et Conservandis ---------- 219
" VI. De Titulo Fundi Ecclesiarum ---------- 220

TITULUS IV.

De Matrimonio.

Caput Unicum ---------- 221

TITULUS V.

De Scholis Catholicis et Publicis.

Caput Unicum ---------- 223

TITULUS VI.

De Societatibus Catholicis et Confraternitatibus.

Caput I. De Societatibus Catholicis ---------- 227
II. De Confraternitatibus ---------- 229

TITULUS VII.

De Societatibus Secretis.

Caput Unicum ---------- 231

TITULUS VIII.

De Cantu Ecclesiastico.

Caput Unicum ---------- 235

SUBSCRIPTIONES PATRUM ---------- 239

LITTERAE PATRUM AD S. PONTIFICEM ---------- 239

LITTERAE PATRUM AD CLERUM POPULUMQUE ---------- 243

APPENDIX ---------- 263

I. Decreta Octo Priorum Conciliorum Baltimorensium.

Concilium Primum ---------- 265
Concilium Secundum ---------- 277
Concilium Tertium ---------- 278
Concilium Quartum ---------- 281
Concilium Quintum ---------- 286
Concilium Sextum ---------- 289
Concilium Septimum ---------- 290
Concilium Plenare Primum ---------- 291

II. De Hominum Cadaveribus Comburendis ---------- 297

III. De Recursu ad Civile Tribunal ---------- 299

IV. Resolutiones S. O. Super Separationem Conjugum sive circa Vinculum sive circa Habitationem tantum ---------- 301

V. De Domicilio ad Matrimonium Contrahendum ---------- 304

VI. Responsum S. O. de Copula Incestuosa ---------- 306

VII. Dispensatio super Abstinentia Carnium Diebus Sabbati ---------- 309

INDEX ---------- 311

CONCILIUM CINCINNATENSE

PROVINCIALE IV.

HABITUM ANNO 1882.

APPROBATIO.

DECRETUM

S. Congregationis De Propaganda Fide.

Mense Martii anni 1882 Synodus IV Provincialis in civitate Cincinnati, cui Rmus. Gulielmus Henricus Elder, impedito ab infirmitate Rmo. Joanne Bapt. Purcell, ex S. Sedis permissione praefuit, habita est. Porro cum Praesules ejusdem ecclesiasticae Provinciae Acta et Decreta Concilii ad S. Congregationem de Propaganda Fide videnda, ac examinanda misissent, Eminentissimi Patres S. Concilio Christiano Nomini Propagando praepositi in generalibus comitiis die 22. Martii 1886 habitis, ea ad trutinam revocaverunt, ac nonnullis modificationibus introductis reviserunt et recognoverunt.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo. Domino Leoni XIII. a R. P. D. Dominico Jacobini S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario in Audientia diei 22. Junii 1886 relatam, Sanctitas Sua approbare dignata est.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 30. Junii 1886.

Joannes Card. Simeoni, Praefectus.

D. Archiep. Tyren, Secret.

[L.†S.]

ACTA
CONCILII CINCINNATENSIS PROVINCIALIS QUARTI.

Cincinnati, a Die 5. ad Diem 19. Martii Anno S. R. 1882, Deo Opitulante, Celebrati.

LITTERÆ EMINENTISSIMI CARDINALIS SIMEONI.

Illme.et Rme.Domine,

Preces Episcoporum istius Provinciae, quibus postulant ut sibi liceat provinciale convocare concilium, cui praesit Amplitudo Tua, licet tantum munere Coadjutoris Archiepiscopi Cincinnatensis praedita sit, per R. P. D. Secretarium hujus Congregationis de Propaganda Fide in audientia diei 28 Augusti nuper elapsi oblatae fuerunt SSmo Dno Nostro, qui in omnibus benigne annuere dignatus est.

Dum haec tibi significo, Deum precor ut te diutissime sospitet.

Romae, ex Aed. S. C. de Propaganda Fide, die 5 Septembris 1881.

Uti Frater addictissimus
Joannes Card. Simeoni, Praefectus.
J. Masotti, Secretarius.

Monsig. Guglielmo Enrico Elder,
Vescovo di Avara
Coadjutore dell'Arcivescovo di Cincinnati.

LITTERAE INDICTIONIS.

GULIELMUS HENRICUS ELDER,

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS AVARENSIS, COADJUTOR ARCHIEPISCOPI CINCINNATENSIS:

Omnibus Illustrissimis ac Reverendissimis Episcopis, Admodum Reverendis Ordinum seu Congregationum Religionis Praepositis caeterisque omnibus qui de jure vel de consuetudine Conciliis Provincialibus interesse debent, Salutem in Domino.

Quum Litteris datis die 5 Septembris anni currentis Eminentissimus Cardinalis Simeoni, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefectus Nobis indicaverit Summum Pontificem dedisse Nobis, licet tantum munere Coadjutoris Archiepiscopi praeditis, licentiam convocandi hujus Provinciae Concilium eique praesidendi:

Nos auctoritate Nobis in hac parte commissa, praesentibus Litteris indicimus ac convocamus Quartum Concilium Provinciale Cincinnatense in Metropolitana Ecclesia Archiepiscopi incohandum die 5 Martii anno 1882, in quam incidit Dominica secunda in Quadragesima; atque ut tempore ac loco a Nobis hic statutis conveniant omnes istius Provinciae Episcopi caeterique omnes qui de jure vel consuetudine ejusmodi Concilio interesse debent, in Domino hortamur, et in quantum opus est, praecipimus ac mandamus.

Si qui Episcopi fuerint impediti, Procuratores litteris necessariis munitos, mittere poterunt, qui de consensu

Patrum votum decisivum habere possunt; at Patrum Concilii erit judicare et de impedimenti legitimitate et procurationis validitate.

Ut autem omnia exactius ad Omnipotentis laudem et gloriam perfici queant, atque Concilium, Deo opitulante, dignum sortiatur exordium, felicemque et fructuosum progressum et exitum habeat, omnes hujus Provinciae Episcopos enixe obsecramus, ut jejunio et orationibus a Patre luminum auxilium impetrent. Rogamus ergo ut, mandantibus Episcopis, a Dominica tertia post Epiphaniam usque ad finem Concilii, preces ab iisdem Episcopis praescribendae in omnibus hujus Provinciae ecclesiis fundantur, dieque Veneris ante Dominicam Quinquagesimam jejunium solemne proclametur.

Datum Cincinnati in Festo Sancti Joannis Apostoli, Anno Reparatae Salutis millesimo octingentesimo octogesimo primo.

Gulielmus Henricus Elder,
Episc. Avar. et Coad. Archiep.
Henricus Moeller, Secretarius.

ACTA IN CONCILIO.

CONGREGATIO PRIVATA PRAELIMINARIS.

Sabbato die 4. Martii.

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Octogesimo Secundo, die Martii 4. quae erat Sabbatum ante Dominicam secundam in Quadragesima hora 9 antemeridiana, in aedes Archiepiscopales Cincinnatenses, convenerunt Illmi. ac Rvmi. Provinciae Cincinnatensis Praesules, nec non et Adm. Rev. Ricardus Scannell, Nashvillensis Dioeceseos Administrator.

Consessui Patrum praefuit Illmus. ac Rmus. Gulielmus Henricus Elder, Episcopus Avarae, Coadjutor Archiepiscopi Cincinnatensis, utpote qui per litteras Eminentissimi Joannis Cardinalis Simeoni, S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecti, die 5 Septembris 1881, expeditas, delegatus fuerat ad hoc celebrandum Concilium

Invocato Spiritus Sancti adjutorio, Patres convenere ut Adm. Rev. Ricardus Scannell, Nashvillensis Dioeceseos Administrator, conventibus Praesulum cum voce decisiva interesset, Rmi. vero Abbates M. Benedictus O. C. et Fintan Mundwiler, O. S. B., nec non et Adm. Rev. Eduardus Sorin, Superior Generalis C. SS. C. cum voce consultativa.

Proponente dein Illmo. Praeside placuit Patribus ut Prima Solemnis Sessio haberetur die 5 Martii, quae fuit Dominica secunda in Quadragesima, hora 9 antemeridiana in Ecclesia Metropolitana; utque in hac Prima Sessione Missam decantaret ipse Illmus. ac Rmus. Praeses. De Secunda Sessione convenere ut celebraretur in eadem Ecclesia Metropolitana, h. 9 matutina, die 9 Martii quae incidit in feriam V. post Dominicam secundam in Quadragesima, utque Rmus. ac Illmus. Caspar Henricus Borgess, Episcopus Detroitensis Sacrum solemniter celebraret.

Visum est etiam Patribus ut Illmus. ac Rmus. Gulielmus Georgius McCloskey Ep. Ludovicopolitanus SS. Sacrificium

pontificaliter celebraret in ultima Sessione, quae indicta est ad Dominicam tertiam in Quadragesima die 12. Martii, ea tamen conditione, ut alius dies substitueretur, si negotia expedienda id exigerent.

Insuper statuerunt Patres Concilii Missam de Requiem pro Praesulibus omnibus Provinciae inde a Tertio Concilio Cincinnatensi defunctis celebrandam ab Illmo. ac Rmo. Augusto Maria Toebbe, Ep. Covingtonensi, Feria III., die 7 Martii.

Quibus absolutis Rmus. Praeses nomina eorum proposuit, quos, collatis inter se Episcopi consiliis in Officiales Concilii assumendos censuerant. Designatos Patres probarunt.

Quibus omnibus peractis particulares theologorum Congregationes constitutae sunt.

Denique ne in disceptando nimium temporis insumeretur convenerunt Patres ut in Congregationibus tam publicis quam privatis nemini liceret nisi semel aut iterum de una eademque quaestione verba facere; utque prima vice decem altera quinque *minutas* nemo excederet.

Quibus peractis et recitato "Sub Tuum Praesidium" finis conventui impositus est.

CONGREGATIO PUBLICA PRAELIMINARIS.

In nomine Domini. Amen. Anno Reparatae Salutis octogesimo secundo supra millesimum octingentesimum die Sabbati Quatuor Temporum Quadragesimae, 3. mensis Martii, hora 4. vespertina convenerunt Illmi. ac Rmi. Dni. Episcopi Provinciae Cincinnatensis, Administrator Nashvillensis, et Abbas Fintan Mundwiler O. S. B., Abbatiae S. Meinradi, et habita est congregatio generalis praeparatoria in presbyterio Ecclesiae Cathedralis Cincinnatensis. Praeerat Illmus. ac Rmus. Dnus. Episcopus Avarensis Coadjutor Archiepiscopi Cincinnatensis. Abfuerunt pauci quorum alii in itinere detenti fuerant, ad alios nuntius de congregatione praeparatoria habenda tempore opportuno non pervenerat.

Invocato per recitationem orationis "Adsumus," Spiritus Sancti auxilio Illmus. ac Rmus. Praeses omnes praesentes

brevi sermone allocutus est et Decretum de silentio servando ac libellis restituendis publicari jussit.

Quo Decreto lecto recitata sunt per Secretarium nomina Episcoporum, Abbatum, caeterorumque Superiorum Religiosorum, Rectorum Seminariorum Majorum et Synodalium reliquorum.

Deinde lectus est catalogus particularium Congregationum theologorum quarum unicuique praefectus erat unus e numero Episcoporum.

Singulis Congregationibus titulus de quo deliberarent attributus fuit.

CONGREGATIO I.

De Ecclesiastica Disciplina.

Praepositus: Illmus. ac Rmus. Gulielmus Henricus Elder.
Theologi: Rmus. Abbas Fintan O. S. B.
Adm. Rdus. Henricus Drees, C. PP. S.
" Henricus Joseph Richter, S. T. D.
" Fridericus Lang, Praep. Cong. Pass.
" Thomas Sebastianus Byrne, Secretarius.
" Ferdinandus Bergmeyer, O. S. F.
" Michael O'Reilly.
" Patricius Gleason.
" Ferdinandus Brossart.

CONGREGATIO II.

De Administratione Bonorum Ecclesiasticorum.

Praepositus: Illmus. ac Rmus. Caspar Henricus Borgess.
Theologi: Adm. Rdus. Ricardus Scannell, Adm. Dioec. Nashv.
Adm. Rdus. Nicolaus A. Moes, Praes. Sem. Clev. et Secretarius.
" Joannes Coghlan, S. J., Rector S. Francisci Xaverii.
" Henricus Joseph Richter, S. T. D., Secretarius.
" Camillus Paulus Maes, Notarius.

Rdus. Joannes Franciscus Friedland.
" Joseph Rademacher.
" Thomas Sebastianus Byrne, Secretarius.
" Patricius Gleason

CONGREGATIO III.

De Cantu Ecclesiastico.

Praepositus: Illmus. ac Rmus. Augustus Maria Toebbe.
Theologi: Rmus. Abbas Fintan, O. S. B.
" Custos Lucas, O. S. F.
" Fridericus Lang, Praep. Cong. Pass.
Adm. Rdus. Ferdinandus Bergmeyer, O. S. F.
" Patricius Henricus Cusack.
" Joannes Franciscus Friedland.
" Joseph Ahrens.
" Ferdinandus Brossart.

CONGREGATIO IV.

De Matrimonio.

Praepositus: Illmus. ac Rmus. Joseph Dwenger.
Theologi: Adm. Rdus. Eduardus Sorin, Sup. Gen. C. SS. C.
" " Eduardus H. Brandts, Vic. Gen.
" Gulielmus J. Halley.
" Joseph Rademacher.
" Thomas Patricius Thorpe.
" Joannes C. Albrinck.
" Dionysius O'Donaghue.
" Gulielmus F. Hayes.

CONGREGATIO V.

De Scholis Catholicis et Publicis.

Praepositus: Illmus. ac Rmus. Franciscus Silas Chatard.
Theologi: Adm. Rdus. Eduardus Sorin Sup. Gen. C. SS. C.
" " Eduardus H. Brandts, Vic. Gen.
" Thomas Patricius Thorpe.
" Joannes C. Albrinck.
" Joseph Ahrens.

Rdus. Henricus Joseph Richter, S. T. D., Secretarius.
" Michael O'Reilly.
" Joannes Coghlan, S. J.
" Dionysius O'Donaghue.
" Patricius Henricus Cusack.
" Hugo Peythieu.
" Aemilianus Sele, S. T. D.

CONGREGATIO VI.

De Societatibus Catholicis.

Praepositus: Illmus. ac Rmus. Joannes Ambrosius Watterson.
Theologi: Adm. Rdus. Ricardus Scannell, Adm. Dioec. Nashv.
" Nicolaus Aloysius Moes, Rect. Sem. Clev.
" Thomas Patricius Thorpe.
" Joseph Rademacher.
" Joseph Ahrens.
" Gulielmus F. Hayes.
" Thomas Sebastianus Byrne, Secretarius.
" Camillus Paulus Maes, Notarius.
" Dionysius O'Donaghue.
" Alexander J. Harnist.

CONGREGATIO VII.

De Societatibus Secretis.

Praepositus: Illmus. ac Rmus. Gulielmus Georgius McCloskey.
Theologi: Rmus. Abbas Fintan Mundwiler, O. S. B.
Adm. Rdus. Eduardus Sorin, Sup. Gen. C. SS. C.
" " Lucas Gottbehoede, Custos Prov. O.S.F.
" Ferdinandus Bergmeyer, O. S. F.
" Thomas Patricius Thorpe.
" Michael O'Reilly.
" Joannes C. Albrinck.

Rdus. Gulielmus J. Halley.
" Aemilianus Sele, S. T. D.
" Alexander J. Harnist.
" Patricius Henricus Cusack.

Postea lectus est elenchus Officialium Concilii. Sunt qui sequuntur:

1. Promotor: Illmus. ac Rmus. Caspar Henricus Borgess, Episcopus Detroitensis.

2. Judices Excusationum et Querelarum: Illmus. ac Rmus. Gulielmus Georgius McCloskey, Episcopus Ludovicopolitanus.

Illmus. ac Rmus. Joseph Dwenger, Episcopus Wayne-Castrensis.

Rdus. Gulielmus J. Halley.
" Joannes F. Friedland.

3. Secretarii: Adm. Rdus. Nicolaus A. Moes, Praeses. Sem. Majoris Sanctae Mariae, Cleveland.

Rdus. Thomas S. Byrne.
" H. Joseph Richter, S. T. D.

4. Notarius: Rdus. Camillus P. Maes.

5. Caeremoniarii: Rdus. Henricus Moeller, S. T. D.
" Franciscus A. Wimsey.

6. Cantores: Rdus. Petrus Hurth, C. SS. C.
" Joannes Feldman.
" Gulielmus Scholl.
" Augustus Fischer.
" Henricus Paul.
" Joseph Stoeppelmann.
Dnus. Ganger, S. J.
" Otting, S. J.
" Walters, S. J.

Deinde Rmus. Praeses evulgari mandavit nomina theologorum a singulis Episcopis adductorum vel designatorum, scilicet:

Ab Illmo. ac Rmo Episcopo Avarensi Coadjutore Archiepiscopi Cincinnatensis:

Rdus. Joannes C. Albrinck.
" Gulielmus J. Halley.
" H. Joseph Richter, S. T. D.
" Thomas S. Byrne.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Ludovicopolitano:
Rdus. Alexander J. Harnist.
" Aemilianus Sele, S. T. D.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Covingtonensi:
Adm. Rdus. Eduardus H. Brandts, V. G.
Rdus. Ferdinandus Brossart.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Detroitensi:
Rdus. Joannes F. Friedland.
" Camillus P. Maes.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Clevelandensi:
Adm. Rdus. Nicolaus A. Moes.
Rdus. Thomas P. Thorpe.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Wayne-Castrensi:
Rdus. Joseph Rademacher.
" Michael O'Reilly.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Vincennopolitano:
Rdus. Hugo Peythieu.
" Ferdinandus Bergmeyer, O. S. F.
" Dionysius O'Donaghue.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Columbensi:
Rdus. Georgius H. Ahrens.
" Gulielmus F. Hayes.

Ab Adm. Rdo. Administratore Nashvillensi:
Rdus. Patricius J. Gleason.
" Patricius H. Cusack.

Demum Illmus. ac Rmus. Praeses hoc promulgavit **Decretum**:

NOS GULIELMUS HENRICUS ELDER,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Avarae, Coadjutor Archiepiscopi Cincinnatensis:

Illmis. ac Rmis. Episcopis et omnibus qui Concilio intersunt salutem in Domino:

De consensu Rmorum. Patrum statuimus et decernimus Primam Sessionem Solemnem crastinâ die quae est Dominica secunda in Quadragesima in Ecclesia Metropolitana celebrandam esse hora 9 cum dimidio, ad quam igitur omnes Synodales invitamus.

Gulielmus Henricus Elder,
Episcopus Avarae et Coadjutor Cincinnatensis.

Omnibus peractis et recitato "Sub Tuum Praesidium" omnes recesserunt.

DECRETA AD CONCILII APERITIONEM PERTINENTIA.

DECRETUM DE SILENTIO SERVANDO ET LIBELLIS RESTITUENDIS.

NOS GULIELMUS HENRICUS ELDER,

Dei et Sedis Apostolicae gratia Episcopus Avarae, Coadjutor Archiepiscopi Cincinnatensis, et huic Concilio Provinciali Cincinnatensi IV Praesidens, omnibus Illmis. ac Rmis. Episcopis nec non et Rmis. Abbatibus ac Adm. Rdis. Ordinum seu Congregationum Religionis Praepositis, caeterisque omnibus qui huic Concilio intersunt, pacem et salutem in Domino.

Quamvis ad promovendum finem, quem Concilium Provinciale ex mente Ecclesiae in fide firmanda, corrigendis moribus christianis ac tollendis defectibus, Deo adjuvante, assequendum sibi proponunt, omnibus ad synodum convocatis, quae de diversis rebus deliberandis sentiant, in congregationibus libere aperire concessum sit, tamen perspicuum est, quam facile haud pauca incommoda et detrimenta exinde exorirentur, si quae in sinu Concilii clausi tractata et peracta fuerint, cum aliis, qui synodo non intersunt, indiscrete et inconsiderate communicarentur. Quum enim fieri possit, ut tam in examinandis quaestionibus quam in votis emittendis variae pro indole sententiae emergant ac diversa diverse proferantur, quae si inter alios cum presbyteros tum laicos extra gremium consultantium dispargerentur, non solum curiositatem inanem excitare, depravatas in ephemeridibus relationes provocare,

sinistris interpretationibus ansam praebere, sed etiam inter synodales ipsos dissidia et cavillationes producere possent, procul dubio omnium interesse debet, ea omnia prorsus evitare atque fraterna charitate et concordia in id eniti, ut quae in synodo peracta et prolata fuerint, inter synodales tantummodo innotescant, nec unquam inter alios divulgentur. Porro quum ad sublevandam examinationem et deliberationem accelerandam haud parum profuturum esse censuimus, si de cunctis, quae in concilio tractanda sint, exemplar integrum omnibus synodalibus ad manum praesto foret idcirco statuta omnia concilio proponenda typis exscribi curavimus et eorum exemplar integrum cuilibet synodali tradendum esse decrevimus, ea tamen addita lege, ut ad praevenienda detrimenta et incommoda multimoda, quae facile exoritura essent, si statuta impressa cum aliis communicarentur vel etiam post concilium finitum retenta subtraherentur, quilibet synodalis ad restituendum exemplar ipsi traditum omnino obligetur. Quam ob rem perennem in synodis observatum usum sequentes, de consilio et assensu Rmorum. Episcoporum comprovincialium nostrorum praecipimus et declaramus, omnes ad concilium convocatos et admissos non solum ad secretum tam de rebus deliberatis et votis editis, quam de sententia peculiari, quam quis in congregationibus particularibus et generalibus enuntiaverit, aeque ac de ratione qua illam explicaverit, absoluta sanctitate observandum; sed etiam ad restituendum statutorum exemplar ipsis traditum gravissime et strictissime sub fide sacerdotali obligari. Dum autem obligationem hanc, qua omnes synodales obstringuntur publicamus et fraterna caritate inculcamus, e potestate Praesidis simul subjungimus, quemcumque, qui secretum synodale violasse vel statuta subtraxisse compertus fuerit, ad judicium judicum synodalium vocandum ac pro demerito et eorum consilio canonica censura esse castigandum.

DECRETUM DE APERIENDO CONCILIO.

Cum in die festo S. Joannis Apostoli juxta sanctiones canonicas, litteras pro Concilio hoc provinciali convocando ediderimus quibus obtemperantes, Illmi. ac Rmi. Episcopi caeterique omnes intra hujus Provinciae limites degentes qui de jure vel de consuetudine adesse debeant, hoc rite convenerunt; ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei et in honorem ejusdem Immaculatae Virginis Mariae, horum omnium Statuum primariae Patronae, omniumque Sanctorum ad augmentum Catholicae Fidei atque ad disciplinae sanctae decorem promovendum: decernimus Concilium hoc provinciale Cincinnatensis IV die 5 Martii a. s. r. 1882, aperiendum et jam esse apertum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

DECRETUM DE PROFESSIONE FIDEI EMITTENDA.

Tridentini Concilii Decretis, ac Pontificiis Constitutionibus libenter ac reverenter obedientes omnibus Patribus hujus Concilii, qui id nondum canonice praestiterint, in Domino injungimus, ut Fidei Professionem juxta formulam a Pio Papa IV concinnatam emittant una cum clausula de R. P. Primatu deque ejus infallibili magisterio addenda juxta Pii IX f. r. praescriptum. Injungimus etiam, ut juxta ejusdem Concilii praescriptum, prius legantur Decreta De Fidei Professione [1] et de Residentia [2].

[1] Sess. XXV. De Reformat. Cap. II. "Cogit temporum."
[2] Sess. XXIII. De Reform. Cap. I. "Cum praecepto."

DECRETUM DE PRAEJUDICIO NON AFFERENDO.

Normae a Sacrosancto Concilio Tridentino sancitae (Sess. II.) morem gerentes, decernimus, "quod si forte contingerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam proferre, Congregationibus aut Sessionibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Concilio durante, nulli propterea praejudicium generari, nullique novum jus acquiri;" adeo ut, post conclusum Concilium omnia circa praecedentiae quaestionem in eodem loco ac ante permaneant.

DECRETUM DE METHODO VITAE IN CONCILIO SERVANDA.

Cum Episcopi et Sacerdotes sint Lux mundi ac Sal terrae a Domino designati, profecto deberent cum toto vitae decursu, tum vero praesertim quando in unum, afflante Spiritu Sancto sint congregati, lucere tanquam lucernae in domo Dei, et exemplo sancto, tanquam sale, corda inspectantium fidelium condire, ut videntes eorum opera bona, glorificent Patrem nostrum qui est in coelis. Quapropter memores verborum Psalmistae: "Nisi Dominus aedificaverit Domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam," studeant omnes hujus Concilii Patres ac synodales precibus assiduis ad Patrem Luminum effusis, ab eo efflagitare divinam illam sapientiam quam omnibus corde humili ac fide plena rogantibus dat affluenter et non improperat; Ipse enim "pro bona voluntate operatur in nobis et velle et perficere."

Concilio igitur durante omnes singulis diebus sacris vacent meditationibus, Sacrosanctum Sacrificium vel offerant, vel saltem eidem devote adsistant; in tota vitae ratione ita se gerant, ut omnibus sint aedificationi

bonumque Christi odorem circumquaque diffundant, quo omnes ad pietatem eorum aspectu moveantur.

Quumque magno Nobis in hoc Concilio imposito operi imparibus omnino simus viribus, Confratres Nostros in Domino rogamus, quatenus sapientissimis suis consiliis Nos adjuvent, ut Nobiscum cooperante Spiritu Sancto, quae ecclesiis nostris sint majori bono, vel ad Religionem sanctam amplificandam ornandamque, vel ad corrigendos abusus, qui ex fragilitate humana forte irrepserint, atque ad disciplinam sanam roborandam et Nobis ipsis clare innotescant, et sapientibus firmentur decretis. De rebus in Concilio pertractandis omnes igitur mentes suas plena libertate pandant, ea tamen ratione, ut "fraternam charitatem invicem diligentes," omnia nostra in charitate fiant! Uti enim monet, post Toletanum Concilium, Sacrosancta Tridentina Synodus: "In sententiis dicendis, in loco benedictionis considentibus Domini Sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare; nullus etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur." (Sess. II.)

"Et quoniam," monente eodem Concilio, "oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suae bene praepositos, hortamur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum, deinde cum in eo loco saepe otiosi sermones fieri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur." (Sess. II.)

Singulis igitur diebus in mensa, praeter Sacrarum

Litterarum selectum caput Martyrologium etiam perlegetur Romanum. Demum quo abundantius in Nos quae bono sint Ecclesiae deliberantes Spiritus Sancti dona descendant, enixe in Domino omnes fideles in Metropolitana hac degentes urbe rogamus, ut die noctuque instent orationibus, ecclesias frequentent, peccata sua animo contrito confiteantur, sacraque communione digne reficiantur; ut placato Domino, peccata nostra vel parentum nostrorum non amplius reminiscatur, sed tam Sacerdotibus quam concreditis ipsis gregibus omnia elargiatur bona.

DECRETUM DE OFFICIALIBUS EORUMQUE MUNERIBUS.

Quoniam ad negotia in Concilio expeditius pertractanda opus sit, ut ministri quidam, sive Officiales, designentur, qui Patribus variis in fungendis officiis praesto sint, valdeque intersit ut horum munera claro definiantur; ideo, de Patrum consensu, decernimus pro hoc Concilio Provinciali Quarto Cincinnatensi deligendos esse Officiales qui sequuntur:

I. *Secretarium*, cui adsignabitur coadjutor. Horum erit; Acta omnia Episcoporum, in privatis eorum praesertim Congregationibus, accurate describere; quae a Patribus suggeruntur in formam, si opus fuerit, conciliarem redigere, eademque Concilio perlegere discutienda; Sessionem et Congregationem tam particularium quam generalium Acta, a Notario accepta, recognoscere, trutinae submittere ac ut decet emendare; omnia Concilii documenta caute custodire, sive sint typis impressa sive scripto exarata; eorundem exemplaria tempore opportuno Patribus tradere ac Synodalibus prout opus erit distribuere, iis iterum, finitis deliberationibus, accurate collectis ac receptis, demum, omnia in unum collecta, adjuvante Notario, praeparare, quae ad Sanctam Sedem transmittantur.

II. *Notarium*. Notarii erit: quae acta fuerint in publicis Sessionibus ac Congregationibus describere, eaque ad Secretarium referre. Acta firmare et Decreta.

III. *Promotor* cujus erit, actionem Patrum tam in privatis quam in publicis Episcoporum et Synodalium Congregationibus et Sessionibus instando dirigere atque urgere, quo omnia ordinate atque expedite gerantur.

IV. *Judices Excusationum et Querelarum*. Quatuor judicum Excusationum erit, eorum in prima instantia, causam judicare, qui cum Concilio jure interesse debuerint, tamen abfuerunt, procurationum instrumenta ab absentibus confecta examini submittere, omniaque ad Concilium demum referre. Querelarum autem judices "accusationes et querelas ipsis delatas audiant diligenter, et ad Nos in Concilio referant, controversias autem, antequam hoc ipsum Concilium de more dimittatur, vel componere studeant, vel ex compromisso ad arbitros rejiciant, vel ad Nos in Concilio referant. "Iidem porro Judices pro Excusationibus ac pro Querelis constituentur, quo majori in agendo simplicitati et expeditioni consulatur,

V. Demum, *Magistros Caeremoniarum*, *Cantores* aliosque quorum obvia sunt munera.

DECRETUM DE NON DISCEDENDO.

Ut consentientibus omnibus ad finem feliciter perducantur nostrae in Domino deliberationes, districte ne quis Synodalium discedat, nisi finito Concilio et sub-

scriptis ejusdem Actis atque Decretis, absque gravi ac justa causa, a Nobis post relationem Excusationum Judicum in Concilio probandam, prohibemus. Quod si hujusmodi obtinuerit licentiam, si fuerit Episcopus, non prius discedat quam Procuratorem rite constituat qui ejus gerat vices. Quod si quis, quod absit, secus egerit, poenas a sacris canonibus sancitas incurrere se sciat.

SESSIO PRIMA SOLEMNIS.

Dominica secunda Quadragesimae, incidente in diem quintam Martii hora nona cum dimidio antemeridiana Illmi. ac Rmi. Episcopi et reliqui legitime convocati, assumpto suae dignitatis habitu in aulis palatii Archiepiscopalis convenerunt. Hora 10 ad majoris campanae sonitum thure imposito ab Illmo. ac Rmo. Concilii Praeside hymnoque " Veni Creator Spiritus " intonato, Synodales ex domo Archiepiscopali ad Ecclesiam metropolitanam processerunt ordine sequente: a) Magister Caeremoniarum Assistens et thuriferarius cum thuribulo; b) Subdiaconus gestans crucem medius inter duos ceroferarios; c) caeteri acolythi bini incedentes superpelliceo induti; d) regulares et saeculares superpelliceo et birretto induti; e) Officiales Concilii, videlicet, cantores, notarius et secretarii, et theologi superpelliceo et birretto induti; f) consultores Praesidis et aliorum Episcoporum et Congregationum religionis praeposti planetis rubri coloris induti; g) Abbas cum pluviale et mitra simplice; h) Adm. Rdus. Administrator Nashvillensis; i) Illmi. ac Rmi. Episcopi; j) presbyter assistens; k) Illmus. ac Rmus. Concilii Praeses, medius inter diaconum et subdiaconum; l) acolythi a mitra et baculo et alii duo a libro et a scotula. Ibant autem omnes psallentes Psalmos 80, 83, 86, campanis et organo in Ecclesia continuo pulsatis et resonantibus.

Missam solemnem de Spiritu Sancto celebravit Episcopus Avarensis, Coadjutor Archiepiscopi Cincinnatensis, assistentibus Rdo. G. J. Halley, archidiacono, Rdo. A. Quatman, diacono, Rdo. E. D. Keley S. J., subdiacono. Concionem habuit, de Spiritus Sancti virtute in Ecclesia Dei, Illmus. ac Rmus. C. H. Borgess, Episcopus Detroitensis. Praeses, Missa finita, perrexit ad faldistorium et dimissis caligis nec non planeta, induit pluviale. Praeses ante altare, quo faldistorium jam positum fuerat, sedit. Subdiaconus praecinuit submissa voce antiphonam: " Exaudi nos Domine," et Praeses, postquam alta voce eadem repetiit verba, geniculavit. Chorus Cantorum prosecutus est cantum antiphonae, qua absoluta intonuit Psalmum: " Salvum me fac." Finito primo Psalmi versiculo Praeses surrexit et sedit in faldistorio, et caeteri omnes simul surrexerunt. Absoluto Psalmo et repetita antiphona Pontifex surrexit et deposita mitra versusque ad altare cantavit tono feriali " Adsumus Domine." Recitata oratione Praeses mitra coopertus procubuit supra faldistorium, caeteris omnibus genuflectentibus, et cantores cecinerunt Litanias.

Quibus absolutis surrexerunt omnes et Pontifex, detecto capite, dixit orationem: " Da, quaesumus." Deinde diaconus benedictione a Pontifice impertita cantavit Evangelium " Convocatis Jesus duodecim." Postea Pontifex genuflexus incepit cantando, schola prosequente, Hymnum " Veni Creator Spiritus." Expleto Hymno, Praeses brevi sermone allocutus est synodales.

Post allocutionem mandante Praeside lecta sunt a Secretario Litterae Eminentissimi Joannis Cardinalis Simeoni, quibus annuente Summo Pontifice Leone XIII. P. P. f. r. licentia ei concessa fuit convocandi Concilium Provinciale eique praesidendi. Eadem ratione Secretarius legit Litteras Indictionis. Instante Illmo. ac Rmo. Promotore et mandante Illmo. ac Rmo. Praeside Decretum de Concilio Aperiendo lectum et a Patribus probatum est. Quo facto reapse Concilium apertum esse declaratum fuit a Praeside. Eodem modo Decretum de Residentia lectum est, deinceps Decretum de Fidei Professione

emittenda, atque emissa est professio fidei ab omnibus synodalibus juxta formam in Pontificale positam prout sequitur.

PROFESSIO FIDEI.

Ego N. firma fide Credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum admitto; nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria,

scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus, in supradictorum solemni administratione recipio et admitto: omnia et singula quae de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offeri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantionem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Caetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et Infallibili Magisterio, indubitanter re-

cipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitae spiritum constantissime (Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Postea Patres bini et synodales terni ad pedes Praesidis accesserunt et breviori forma assensum praebuerunt.

Similiter lecta et probata postmodum sunt Decreta "De Praejudicio non afferendo," "De Modo vivendi in Concilio," "De Concilii Officialibus eorumque Muneribus," "De non discedendo."

Post haec Concilii Promotor rogavit Praesidem ut omnes tam Patres quam Presbyteri, qui ad Concilium fuerunt vocati quique eidem vel de jure vel de consuetudine interesse debent, ex sacrorum canonum praescripto nominatim vocarentur, absentesque notarentur, quod Praeses fieri jussit. Perlecta sunt igitur a Secretario omnium Synodalium nomina una cum titulis et eorum dignitatibus. Qui autem ad vocationem nominum suorum respondere, fuere sequentes.

I. PRAELATI.

Illmus. ac Rmus. Gulielmus Henricus Elder, Episcopus Avarensis, i. p. i., Coadjutor Archiepiscopi Cincinnatensis, Praeses.

Illmus. ac Rmus. Gulielmus Georgius McCloskey, Episcopus Ludovicopolitanus.

Illmus. ac Rmus. Augustus Maria Toebbe, Episcopus Covingtonensis.

Illmus. ac Rmus. Caspar Henricus Borgess, Episcopus Detroitensis.

Illmus. ac Rmus. Ricardus Gilmour, Episcopus Clevelandensis.

Illmus. ac Rmus. Joseph Dwenger, Episcopus Wayne-Castrensis.

Illmus. ac Rmus. Franciscus Silas Chatard, Episcopus Vincennopolitanus.

Illmus. ac Rmus. Joannes Ambrosius Watterson, Episcopus Columbensis.

Adm. Rdus. Ricardus Scannell, Administrator Nashvillensis, sede vacante.

Rmus. Fintan Mundwiler, Abbas Benedictinus, St Meinradi.

II. VICARIUS GENERALIS.

Adm. Rdus. Eduardus H. Brandts, Episcopi Covingtonensis, Vicarius Generalis.

III. ORDINUM RELIGIOSORUM SUPERIORES.

Adm. Rdus. Eduardus Sorin, Superior Generalis Congregationis SS. Crucis.

Adm. Rdus. Lucas Gottbehoede, Custos Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci.

Adm. Rdus. Henricus Drees, Superior Congregationis Pretiosissimi Sanguinis.

Adm. Rdus. Joannes Coghlan S. J., Rector Collegii Sancti Francisci Xaverii.

IV. SUPERIOR SEMINARII MAJORIS.

Adm. Rdus. Nicolaus Aloysius Moes, Rector Seminarii Clevelandensis.

V. THEOLOGI.

A singulis Episcopis vel secum adducti vel Cincinnati designati:

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Avarensi, Coadjutore Archiepiscopi Cincinnatensis:

Rdus. Joannes C. Albrinck; Rdus. Henricus Joseph Richter S. T. D.

Rdus. Gulielmus J. Halley; Rdus. Thomas S. Byrne.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Ludovicopolitano:

Rdus. Alexander F. Harnist; Rdus. Aemilianus Sele, S.T.D.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Covingtonensi:

Adm. Rdus. Eduardus H. Brandts; Rdus. Ferdinandus Brossart.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Detroitensi:

Rdus. Joannes F. Friedland; Rdus. Camillus P. Maes.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Clevelandensi:

Adm. Rdus. Nicolaus A. Moes; Rdus. Thomas P. Thorpe.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Wayne-Castrensi:

Rdus. Joseph Rademacher; Rdus. Michael O'Reilly.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Vincennopolitano:

Rdus. Hugo Peythieu; Rdus. Ferdinandus Bergmeyer O.S.F.

Rdus. Dionysius O'Donaghue.

Ab Illmo. ac Rmo. Episcopo Columbensi:

Rdus. Georgius H. Ahrens; Rdus. Gulielmus F. Hayes.

Ab Adm. Rdo. Administratore Nashvillensi:

Rdus. Patricius F. Gleason; Rdus. Patricius H. Cusack.

VI. ABSENTES NOTATI:

Rmus. M. Benedictus, Abbas Cisterciensis.

Adm. Rdus. Hugo F. Lilly, Prior Ordinis Fratrum Praedicatorum.

Adm. Rdus. Fridericus Lang, Congr. Clericorum Regularium a SS. Passione D. N. J. C.

Adm. Rdus. Georgius McCloskey, Rector Sem. Ludovicopolitani.

Adm. Rdus. Ludovicus F. Letourneau, C. SS. C. Provincialis.

Postea ad instantiam Promotoris annuentibus Patribus die 9 Martii ejusque hora antemeridiana pro Sessione secunda habenda a Praeside indicta est; similiter indixit Missam De Requiem pro Episcopis Provinciae inde a Concilio Provinciali III. defunctis, die 7 Martii hora 9 celebrandam.

His omnibus ex ordine absolutis Promotor institit pro actis Sessionis hujus conficiendis, eaque conficere pollicitus est Notarius. Demum Episcopus Praeses assurgens solemnem benedictionem adstantibus impertiit.

Quibus peractis redierunt Synodales ad aedes archiepiscopales. Supradicti omnes Praelati, sacerdotes et officiales ab Illmo. ac Rmo. Praeside ad prandium benigne invitati fuerunt, et durante refectione habita est lectio ex S. Scriptura et Martyrologio Romano; quod et sequentibus diebus observatum est.

CONGREGATIO PRIMA PRIVATA.

Feria II. die 6. Martii habita.

Hora 9 a. m. in aedibus archiepiscopalibus habita est Congregatio privata, in qua, absentibus secretariis, Patres de variis negotiis inter se disserebant.

CONGREGATIO GENERALIS PRIMA.

H. 3. Fer. II. die 6. Martii habita.

Hora 3. p. m. in Ecclesia Metropolitana, Praesidente Illmo. ac Rmo. Episcopo Avarensi, adfuere Patres omnes rocchetto et mozzetta induti; praeterea Ordinum Religiosorum Congregationumque superiores caeterique theologi conciliares, paramentis propriis induti. Oratione "Adsumus" absoluta, institit Illmus. Promotor ut qui Congregationi praeliminari non interfuere juramentum de silentio servando nunc emitterent. Quo praestito Schema cui titulo est "De Cantu Ecclesiastico" discussioni subjectum est; primo tamen animadversionibus Tertiae Congregationis theologorum perlectis. Deinceps facultas data est, ut singuli theologi quid sentirent de materia subjecta liberrime exprimerent qua facultate haud pauci usi sunt. Schema "De Bonorum Administratione Temporalium" typis imprimi mandatum est, et recitato "Sub Tuum Praesidium" huic primae Congregationi generali finis impositus est.

MISSA DE REQUIEM.

Die 7 Martii, hora 9 matutina, convenerunt omnes Patres et theologi in Ecclesiam metropolitanam Missamque solemnem pro Praelatis ab ultimo Concilio defunctis in pontificalibus celebravit Illmus. ac Rmus. Episcopus Covingtonensis, assistentibus Rdo. C. P. Maes, archidiacono, Rdo. J. F. Friedland, diacono, Rdo. F. Bossart, subdiacono. Post Missam concionavit Illmus. ac Rmus. Episcopus Wayne-Castrensis et precibus fidelium commendavit: Illmos. ac Rmos. Dnos. M. J. Spalding, olim Episcopum Ludovicopolitanum, qui obiit Archiepiscopus Baltimorensis; P. P. Lefevre, Episcopum Detroitensem; A. Rappe, Episcopum Clevelandensem; F. Rese, Episcopum Detroitensem, F. Baraga, Episcopum Saltus Sanctae Mariae et Marquettensem; M. de St. Palais, Episcopum Vincennopolitanum; G. A. Carrell, Episcopum Covingtonensem; H. Luers, Episcopum Wayne Castrensem; S. Rosecrans, Episcopum Columbensem; P. Lavialle Episcopum Ludovicopolitanum.

Absoluta concione decantata sunt responsoria et absolutiones peregerunt Illmi. ac Rmi. Episcopi Wayne-Castrensis, Detroitensis, Avarensis, Ludovicopolitanus, et Covingtonensis, pluvialibus nigris induti.

CONGREGATIO SECUNDA PRIVATA.

H. 11½ Feria III., die 7. Martii.

Absoluto Sacro Piaculari pro Praesulibus defunctis convenerunt omnes Patres rocchetto et mozzetta induti. Interfuit quoque Adm. Rdus. Ricardus Scannell Administrator Dioeceseos Nashvillensis superpelliceo indutus, qui voce assistebat decisiva. Assidebant cum voce consultativa Rmus. Fintan Mundwiler O. S. B. abbas, rocchetto et propria mozzetta indutus, nec non et Adm. Rdus. Eduardus Sorin, Superior Generalis Congregationis SS. Crucis, habitum suae Congregationi proprium deferens. Quod idem in subsequentibus etiam congregationibus observatum est. Aderat etiam Secretarius.

Invocato Spiritus sancti auxilio Congregatio excusationum per Episcopum Wayne-Castrensem retulit causas Adm. Rdorum. Hugonis F. Lilly O. P. Prioris; Ludovici F. Letourneau C. SS. C. Provincialis, et Georgii McCloskey, Rectoris Seminarii Majoris (Preston Park) dioeceseos Ludovicopolit., qui a Rmo. Praeside ad Concilium vocati fuerant at non aderant. Adm. Rdi. H. F. Lilly et Georgius McCloskey urgentibus negotiis detenti fuerant; Adm. Rdi. Ludovicus F. Letourneau et Fridericus Lang C. P. vero adversa laborabat valetudine. Judices Excusationum in prima instantia causas excusationis validas et legitimas habendas duxerunt, quorum judicium Patres probarunt. Quum de absentiae ratione Rmi. M. Benedicti, Abbatis Cisterciensis Judices certiores facti non fuissent, Patres mandarunt ut litterae, quas ob causas abesset exquirentes ei mitterentur.

Deinde lecto Schemate "De Cantu Ecclesiastico" expositisque theologorum de eodem animadversionibus agi coeptum est de materia hujus Tituli. Tempore Congregationis habendae elapso, dictoque "Sub Tuum Praesidium" comitiis finis impositus.

CONGREGATIO GENERALIS SECUNDA.

H. 3. Feria III. die 7. Martii.

In Ecclesia Metropolitana convenere omnes Praelati caeterique clerici synodales et servatis servandis aperta est secunda Congregatio generalis. Praelectum juxta morem Schema super Titulum "De Matrimonio" et facta est omnibus theologis conciliaribus facultas quidquid suggerendum existimarunt in medium proferendi. Re mature discussa theologis Congregationis particularis IV Schema "De Matrimonio" remissum est, ut quaedam diligentius discuterentur. Deinde Tituli "De Disciplina Ecclesiastica" capita "De Vestitu," "De Residentia" et "De Negotiis Saecularibus" perlecta. Absoluta lectione omnibus sententiam suam dicendi occasione oblata Congregationi finis impositus est.

CONGREGATIO TERTIA PRIVATA.

H. 7½ Feria III. die 7. Martii.

Omnibus, in quo competiit, adunatis more solito aperta est Congregatio. Primo introductus Rmus. Episcopus Tiberiadis i. p. i., Martinus Marty, Vic. Apost. Dakotae Territorii. Patres allocutus est rogans eos, ut missionibus indigenarum, qui vulgo audiunt "Indians," intra limites Statuum Americae Septentrionalis Foederatorum degentium, quo modo Patribus melius visum fuerit, succursum praeberent. Patres ejus verba benigne acceperunt et dein in subsequente Congregatione hac de re deliberandum convenere. Deinde Schema "De Cantu Ecclesiastico" iterum ad trutinam revocatum, quo Titulo hinc inde discusso, finis Consessui impositus et proxima Congregatio privata indicta ad horam 9. sequentis diei.

CONGREGATIO QUARTA PRIVATA.

H. 9. Feria III, die 8. Martii.

Hora statuta Patres convenere et acta hesterna prout lecta probarunt. Disceptatione "De Cantu Ecclesiastico" absoluta decreta hujus Tituli Patres, nemine contradicente, condiderunt. Postquam lecta fuerunt Tituli "De Disciplina Ecclesiastica" capita, scilicet: "De Examine Ordinandorum," "De Examine Neo-Presbyterorum," "De Concionatoribus," "Deque Collationibus Theologicis," eadem discutienda proposita fuere. Jam inita deliberatione ad manus pervenit nuntius telegraphicus a Summo Pontifice Leone XIII., f. r. his conceptis verbis:

Romae 7. Martii.

Gulielmo Enrico Elder, Coadj. Cincinnati, P.

Summus Pontifex obsequia grata habuit Apostolicam benedictionem amanter impertit omnibus Episcopis in synodo congregatis et Archiepiscopo infirmo.

Cardinalis Simeoni.

Quem omnibus stantibus Rmus. Praeses perlegit, quo finito omnes quam gratos se praebuere. Deinceps materia praedictorum capitum mature perpensa, decreta his de rebus tulerunt Patres et probarunt. Proximae Congregationi hora 7½ adsignata recesserunt.

CONGREGATIO GENERALIS TERTIA,

H. 3. P. M. Feria IV. die 8. Martii.

Die 8. Martii, hora 3. pomeridiana convenerunt Patres in presbyterio Ecclesiae Metropolitanae, ubi, post orationem "Adsumus" aures praebuerunt lectioni, a Secretario factae, decretorum postridie promulgandorum "De Cantu Ecclesiastico." Suffragia Episcoporum et Administratoris collegerunt Secretarius et Notarius, placuit Patribus ut decreta promulgarentur, "absque praejudicio juris." Postulante Rmo. Promotore capita "De Disciplina Ecclesiastica," quae discutienda superfuere oblata sunt, ut theologi de iisdem sententias suas panderent, quibus omnibus auditis ventum est ad Schema "De Matrimonio," quod in hac Congregatione absolutum est. Postquam haec rite et diligenter expedita fuerunt, dictis de more precibus, huic coetui impositus est finis.

CONGREGATIO QUINTA PRIVATA,

H. 7½ P. M. Feria IV. die 8. Martii.

Ad Congregationem privatam juxta morem consederunt Patres cum secretariis. Praeviae Congregationis actis lectis et probatis Schematis "De Disciplina Ecclesiastica" capita "De SS. Communione Infirmis Administranda," "De Funeribus," "De Vestitu" et "De Residentia" examini subjecta sunt. Quibus rite perpensis decreta huc spectantia condita et comprobata sunt. Thema vero "De Funeribus" quo magis elucidaretur Congregationi Particulari I. remissum est. His peractis more solito finis congressui impositus est.

SESSIO SOLEMNIS SECUNDA,

Feria V. die 9. Martii.

In nomine Domini. Amen. Anno Salutis reparatae millesimo octingentesimo octogesimo secundo, feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimae, die 9. Martii secundae Sessionis exordium factum est hora nona matutina a Missa votiva solemni "De Spiritu sancto," quam, praesentibus Patribus, celebravit Illmus. ac Rmus. Episcopus Detroitensis, assistentibus Rev. C. P. Maes, archidiacono, Rev. Th. P. Thorpe, diacono, Rev. J. Rademacher, subdiacono. Post Sacrum Episcopi paramenta rubra induerunt et officiales caeterique synodales propria sibi loca petierunt. Illmus. ac Rmus. Praeses Concilii, assumptis pluviali, mitra, et baculo pastorali intonuit antiphonam "Propitius esto" quam chorus prosecutus est cum Psalmo 78 "Deus venerunt gentes." Quibus absolutis Praeses recitavit orationes. Postquam Diaconus cantavit Evangelium, Pontifex incepit "Veni Creator," schola Hymnum prosequente. Absoluto Hymno Praeses allocutione Patres admonuit, et si quid nossent emendatione condignum in medium proferre non ambigerent. Dein ad Illmi. Promotoris instantiam publicata sunt a secretario decreta "De Cantu Ecclesiastico," quae correctis corrigendis Patribus placuisse retulit Notarius Praesidi. Gratiis Deo actis institit Promotor, ut dies tertiae et ultimae Sessionis habendae indiceretur. Votis Patrum collectis Praeses per Secretarium promulgavit decretum vigore cujus dies 12 mensis Martii, qui incidit in Dominicam tertiam Quadragesimae, ejusque hora 10½ A. M., ultimae Sessionis celebrandae assignatus est; ita tamen ut dictus terminus in Congregatione Generali contrahi aut prorogari libere posset, prout res expediendae exigerent.

Instantia adversus contumaces absentes facta et accepta, Notarius se fideliter acta hujus Sessionis confecturum promisit et, benedictione ab Illmo. Praeside data omnes, quo ingressi sunt ordine, abierunt.

CONGREGATIO SEXTA PRIVATA,

H. 11½ Feria V. die 9. Martii.

Ad sextam Congregationem privatam habendam convenerunt Patres cum Secretariis et acta hesterna lecta sunt et probata. Censuerunt Patres decretis "De Concionatoribus" monitum hujus tenoris addendum: "Adhortamur autem sacerdotes ut iis in locis, ubi plures fideles Missae parochiali seu principali interesse nequeunt, eos qui aliis Missis adsunt brevi sermone instruant." Hic more solito recesserunt.

CONGREGATIO QUARTA GENERALIS,

H. 3 Feria V. die 9. Martii.

Hora statuta omnes Rmi. Patres caeterique synodales ad Congregationem generalem consederunt. Ad Promotoris instantiam Schema "De Bonis Temporalibus Administrandis" praelectum est, Illmo. Praeside praesentes invitante, ut mentem suam ea de re liberrime panderent. Quaestio de auxiliariis laicis adhibendis diu et acriter hinc inde disceptata est. Hora jam tarda omnes abierunt.

CONGREGATIO SEPTIMA PRIVATA.

H. 7½. Feria V. die 9. Martii.

In hac Congregatione, actis praeviae Congregationis lectis et probatis, Patres de capite cui titulo "De Quibusdam Locis Vitandis" disseruerunt. Materia subjecta prout rei gravitas postulabat, decreta hac super re lata et probata fuerunt. Dein Schema "De Matrimonio" lectum est et re fuse discussa decreta hoc super titulo trutinae submissa, condere Patribus placuit. Hora proximae Congregationis indicta omnes decesserunt.

CONGREGATIO OCTAVA PRIVATA.

H. 10. Feria VI. die 10. Martii

Aderant Patres omnes excepto Rmo. Abbate Fintan O. S. B. cujus excusationem a Rmo. Episcopo Wayne-Castrensi relatam Patres ut legitimam admiserunt. Praeses jussit ut schematis "De Bonis Temporalibus Administrandis" caput "De

Auxiliariis Laicis Adhibendis" Secretarius legeret. Lectione persoluta hac de re agi coeptum est; plura quidem fuerunt enucleata, ast nihil decreverunt Patres. Instante hora prandii, solitis dictis precibus, finis conventui factus est.

CONGREGATIO QUINTA GENERALIS.

H. 3. Feria VI. die 10. Martii.

Die 10. Martii, hora 3. p. m. iteratae deliberationi theologorum schema "De Bonis Temporalibus Administrandis" et "De Auxiliariis Laicis," postulante Promotore, subjectum est. Hac re maximi momenti magna cura et eruditione enucleata, ad considerationem schematis "De Societatibus Secretis" ventum est, ad horam sextam pomeridianam.

CONGREGATIO NONA PRIVATA.

H. 10. a. m. Sabbato, die 11. Martii.

Assidebant omnes et singuli Patres, etiam secretarii, lectis et probatis actis hesternis iterum examini subjectum est caput "De Auxiliariis Laicis Adhibendis," scilicet, in administrandis bonis temporalibus. In longum abiit disceptatio, alii alia protulerunt judicia, ut uberior autem affunderetur lux tota materia in proximam Congregationem remissa est. Hic congressui finis impositus est.

CONGREGATIO DECIMA PRIVATA.

H. 3. p. m. Sabbato, die 11. Martii.

Patribus juxta morem in Congregatione adunatis, Secretariis assidentibus, acta Congregationis matutinae lecta et probata. Patres censuerunt coetum trium Episcoporum constituendum, qui quaestionem "De Auxiliariis Laicis Adhibendis" accurato examini subjicerent suamque hac de re sententiam mature perpensam Patribus in subsequente Congregatione patefacerent. Ad hoc designati fuerunt ab Illmo. Praeside Illmi. Episcopi Ludovicopolitanus, Vincennopolitanus et Columbensis. Quo peracto Secretarius, mandante Praeside, legit primam sectionem schematis "De

Societatibus Secretis," quae dein diu utrinque in longum et latum disceptata est, quin tamen de decretis ferendis convenerint Patres.

Postea Illmus. Praeses Patres rogavit ut quid sentirent de ratione succurrendi missionibus Indorum in medium proferrent; at visum est Patribus satius esse nihil in praesentiarum hac de re statuere. Convenerunt tamen, ut causam Indorum fidelibus commendarent. Negotiis Concilii minime expeditis terminus ultimae Sessioni indictus prorogatus est. Statuerunt nullam habendam fore Congregationem die sequente, qui fuit Dominica tertia in Quadragesima. His definitis conventui finis factus est.

CONGREGATIO UNDECIMA PRIVATA.

H. 9. A. M. Feria II. die 13. Martii.

Huic Congregationi interfuerunt omnes Patres excepto Adm. Rev. Sorin, Superiore Generali C. SS. C., nec non et Secretarii. Urgentibus negotiis avocatus legitime excusatus fuit Adm. Rev. Sorin a Judicibus Excusationum omnibus consentientibus Patribus, et amplius Concilii comitiis interesse non potuit. Occasione hujus Congregationis opportunum censuit Illmus. ac Rmus. Praeses Coepiscoporum sententias et consilia de nonnullis rebus exquirere, quae ad materiam in Concilio pertractandam non pertinebant. Litterae a Rev. F. X. Weninger S. J. Patribus Concilii missae a Secretario lectae fuere quibus postulabat, ut consilia inirent de meliore ratione, qua scholae et ecclesiae in Nigrorum usum extrui possent, sed Patribus visum est nihil hac de re praescribere et uniuscujusque Episcopi judicio quid satius faciendum judicaverit in propria dioecesi relinquendum esse. In his pertractandis coetus ad finem perductus est.

CONGREGATIO SEXTA GENERALIS.

H. 3. P. M. Feria II. die 13. Martii.

Congressus factus est omnium Praesulum, Superiorum Religiosorum theologorumque synodalium. Absoluta discussione de Societatibus Secretis Illmus. Praeses schema "De

Societatibus Catholicis et Confraternitatibus" cum animadversionibus et votis VI. Congregationis particularis theologorum praelegi jussit. Auditis theologis et materia subjecta penitus discussa terminata est Congregatio.

CONGREGATIO DUODECIMA PRIVATA.

H. 7¼ P. M. Feria II. die 13. Martii.

Convenere Patres more usitato et acta praevia lecta et probata sunt, quibusdam factis emendationibus. Quaedam additamenta scriptis exarata schemati "De Matrimonio" adjecta lecta sunt et adoptata. Schematis "De Societatibus Catholicis et Confraternitatibus" prima pars examinanda in medium prolata est et correctis corrigendis, decretis "De Societatibus Catholicis" latis Patres assensum praebuerunt. Quibus finitis coetus terminatus est.

CONGREGATIO DECIMA TERTIA PRIVATA.

H. 10. A. M. Feria III. die 14. Martii,

Acta novissimae Sessionis lecta fuerunt et correctis corrigendis a Patribus probata. Rogante Illmo. Promotore ut citius negotia expedirentur, tertius Secretarius, scilicet Rev. H. Joseph Richter S. T. D., annuentibus Patribus, adscitus est. Exposuit Illmus. Episcopus Ludovicopolitanus Rmum. M. Benedictum O. C., causam absentiae ad Judices Excusationum detulisse, quam legitimam habuerunt Patres. Deinde lecta est altera pars schematis "De Societatibus Catholicis et Confraternitatibus" et decreta hac super re lata Patres probarunt. Postea relatio coetus Episcoporum, cui adlaborandum caput "De Auxiliariis Laicis Adhibendis in Bonis Temporalibus administrandis" commissum est, a Secretario lecta fuit et trutinae submissa, quo facto ad finem conventus pervenit.

CONGREGATIO SEPTIMA GENERALIS.

H. 3. P. M. Feria III. die 14. Martii.

In pleno apertoque Synodalium omnium conventu perlecta sunt schematis "De Disciplina Ecclesiastica" quae sequuntur

capita: "De Funeribus," "De Litibus in Foro Civili Gerendis," "De Vita Sacerdotali," "De Abusu in Rebus Ecclesiasticis," "De Vicariorum Officiis," "De Decanis Foraneis" nec non et titulus "De Fide et Doctrina Catholica" eum in finem, ut omnes, quae ipsis notanda viderentur exponerent. His elucidatis, schema "De Scholis Catholicis et Publicis" in medium probatum est, quod Congregationi particulari V. maturius et perfectius elaborandum remissum est.

CONGREGATIO DECIMA QUARTA PRIVATA.

H. 7½. P. M. Feria III. die 14. Martii.

Proponente Illmo. Promotore, et Patribus annuentibus, regula Synodalibus imposita de sermone prima vice ultra 10 minutas, altera vero vice ultra 5 minutas non protrahendo, abrogata est. Postea iterum coeptum est agi de capite cui titulo "De Auxiliariis Laicis" quo in discutienda totum insumptum est tempus hujus consessus.

CONGREGATIO DECIMA QUINTA PRIVATA.

H. 11. A. M. Feria IV. die 15. Martii.

Iterum ad caput "De Auxiliariis Laicis" discutiendum Patres aggressi sunt, qua discussione tandem aliquando ad finem perducta, praeambulum cum decretis hac super re, suffragantibus omnibus adprobatum fuit.

CONGREGATIO OCTAVA ET ULTIMA GENERALIS.

H. 3. P. M. Feria IV. die 15. Martii.

Feriae quartae 15. Martii hora consueta pomeridiana convenere in Ecclesia Metropolitana Praelati caeterique clerici Synodales. Perlecto, juxta morem Concilii, novo schemate "De Scholis Catholicis," vocati sunt Theologi, ut quid de propositis regulis sentirent, libere enuntiarent. Ingenue rem tractarunt et tandem Congregationibus publicis synodalibus finem feliciter imposuerunt. In fine hujus ultimae Congregationis publicae Illmus. ac Rmus. Praeses omnibus theologis gratulatus est eorumque industriam eximiis quidem laudibus cumulavit.

CONGREGATIO DECIMA SEXTA PRIVATA,

H. 7½ P. M. Feria IV. die 15. Martii.

Novissimae Congregationis privatae acta lecta et probata fuere. Deinde Epistola Synodica vulgari sermone à Patribus ad omnes hujus Provinciae Christifideles conscribenda lecta et Patrum examini subjecta est.

CONGREGATIO DECIMA SEPTIMA PRIVATA,

H. 10. A. M. Feria V. die 16. Martii.

Loco Rev. Friedland, qui, re gravi exigente, domum, annuentibus Patribus, regressus est, Rev. Sele omnium unanimi voce subrogatus est ad partes Judicis Excusationum suscipiendas. Schematis "De Bonorum temporalium Administratione" capita "De Ratione Reddenda" et "De Aere Alieno" discutienda submissa, quibus rite et accurate exploratis, decreta huc spectantia probata sunt.

CONGREGATIO DECIMA OCTAVA PRIVATA.

H. 3. P. M. Feria V. die 16. Martii.

Actis matutinis lectis et probatis ad examen revocata sunt Schemmatis "De Administratione Bonorum Temporalium" capita "De Salariis Sacerdotum," "De Ecclesiis, Oratoriis, etc. Aedificandis," "De Titulo Fundi;" item Titulus "De Fide et Doctrina Catholica," nec non et Schematis "De Disciplina," capita "De Ecclesiarum Rectoribus," "De Negotiis Saecularibus," "De Litibus in Foro Civili Gerendis," "De Vita Sacerdotali" et "De Abusu in Rebus Ecclesiasticis Evulgandis," quibus omnibus et singulis pro rerum gravitate disceptatis decreta super his materiis condita sunt et probata, toto capite "De Ecclesiarum Rectoribus" eliminato. Quibus peractis hujus Congregationis finis factus est.

CONGREGATIO DECIMA NONA PRIVATA,

H. 9. Feria VI. die 17. Martii.

Gesta ultimae Congregationis Patres ut lecta probarunt, quo facto deliberationi Patrum proposita fuere e schemate

"De Disciplina" capita "De Vicariorum Officiis" et "De Decanis Foraneis." Decretis his de rebus latis et probatis ad Schema "De Scholis Catholicis et Publicis" ventum est et decreta prout sub hoc titulo stant suffragia omnium Patrum sortita sunt. Hoc schemate absoluto Patres discesserunt.

CONGREGATIO VIGESIMA PRIVATA,

H. 3. P. M. Feria VI. die 17. Martii.

Gestis postremae Congregationis lectis et approbatis, Illmus. Praeses rogavit ut Secretarius legeret Schema "De Societatibus Secretis" et decreta ejusdem in longum et latum disceptata et clarius enucleata, nonnullis emendationibus adjectis, Patribus placuerunt. Postea omnes abierunt paciscentes autem crastino die hora 10½ se conventuros.

CONGREGATIO VIGESIMA PRIMA PRIVATA.

H. 10½. A. M. Sabbato, die 18. Martii.

Gesta ultimae Congregationis lecta Patres probare annuerunt, et postea inter se de variis negotiis ab Illmo. Praeside in medium allatis deliberarunt et consilia contulerunt. Deinceps iterum trutinae submissa sunt praecipua Epistolae Synodicae capita, et Patres, postquam sententias suas protulerunt, conventui finem imposuere.

CONGREGATIO VIGESIMA SECUNDA ET ULTIMA PRIVATA.

H. 3. P. M. Sabbato, die 18. Martii.

Iterum nonnulla Epistolae Synodicae capita legit Illmus. Episcopus Clevelandensis et patres quid de iisdem censerent sponte in medium proferre invitati sunt, ut quae emendatione digna fuerint, emendarentur. Sententiis Patrum auditis et omnibus de Concilii negotiis absolutis Illmus. ac Rmus. Episcopus Ludovicopolitanus, senior annis consecrationis inter Provinciae Antistes Praesidi de Concilio tam feliciter coepto, celebrato et absoluto amplissimis verbis gratulatus est eique gratias maximas egit de benignitate et urbanitate, qua erga Rmos. Patres caeterosque Synodales usus est, cui disertis

verbis respondit Praeses et gratias retulit sinceras de zelo eximio et de prudentia sollicitudineque, quibus labores conciliares promovere studuerant et tam efficaciter ad decreta feliciter condenda contulerant. Quibus finitis omnes in pace recesserunt.

SESSIO SOLEMNIA TERTIA ET ULTIMA

Dominica Quarta in Quadragesima, die 19. Martii.

In Nomine Domini, Amen.

Anno R. S. millesimo octingentesimo octogesimo secundo in Festo B. Joseph, Sponsi B. M. V., Universalisque Ecclesiae Patroni, hora nona cum dimidio, quemadmodum ante Primam Sessionem Patres omnes, Ordinum Religiosorum ac Congregationum Superiores, theologi synodales multique alii sacerdotes et inferioris ordinis clericis eodem ritu atque ordine, iisdem Psalmis et Hymnis decantatis ad Ecclesiam Metropolitanam processerunt.

Missam solemnem de S. Joseph celebravit Illmus. ac Rmus. Episcopus Ludovicopolitanus, assistentibus: Rev. Alexandro F. Harnist, archidiacono; Rev. H. Joseph Richter, diacono; Rev. Patricio H. Cusack, subdiacono; Rev. Henrico Moeller, Magistro Caeremoniarum, et Rev. F. A. Wimsey, Caeremoniario assistente. Concionavit "De Imperio Ecclesiae" Illmus. ac Rmus. Episcopus Clevelandensis.

Post Sacrum decantati sunt Psalmi, Orationes, Hymnus etc. ut in Libro Pontificali praescribuntur.

Illmus Praeses. allocutionem habuit ad Synodales, post quam Promotore instante et assentientibus Patribus prorogationis hujusce Sessionis ad horam quartam pomeridianam promulgatum est decretum:

Gulielmus Henricus Elder etc.

Quum omnia quae in hac Sessione peragenda sunt, pro temporis brevitate hodie mane absolvi haud possint, de consilio et assensu Rmorum Patrum. decernimus et statuimus, ut hujus tertiae Sessionis prorogatio hodie hora quarta p. m. habeatur, et omnes Synodales hora tertia cum media in aedibus Archiepiscopalibus adesse invitamus.

Gulielmus Henricus Elder,
Ep. Avarae, etc.

Ad iteratam Illmi. Promotoris petitionem, praeses mandavit, ut absentes contumaces poenis a Sacris Canonibus sancitis mulctarentur, et Notarius se de omnibus et singulis hodie mane peractis instrumenta confecturum pollicitus est. Dein omnes in Sacristiam reversi sunt.

Hora quarta p. m. Praelati et Synodales solemni ritu in presbyterio Ecclesiae Metropolitanae convenerunt, et orationibus consuetis dictis, institit Illmus. Promotor pro lectione Decretorum. Promulgata sunt decreta septem primorum titulorum scilicet: "De Fide ac Doctrina Catholica;" "De Disciplina Ecclesiastica;" "De Bonorum Ecclesiasticorum Administratione;" "De Matrimonio;" "De Scholis Catholicis et Publicis;" "De Societatibus Catholicis et Confraternitatibus;" "De Societatibus Secretis."

Quibus lectis his institit verbis Illmus. Promotor: "Illme. ac Rme. Praeses, cum opitulante Deo et auspice Maria horum Statuum Foederatorum Patrona Primaria, plura jam sunt ab hujus Concilii Provincialis Patribus sancita decreta, quae, uti sperandum valde huic Provinciae utilitati erunt atque decori, Ego, Caspar Henricus, hujus Concilii Promotor, rogo, ut Dominatio Vestra ab omnibus Patribus Decreta haec subscribenda, antequam discedant, jubeat ac decernat." Ita mandante Praeside, Notarius accepit decreta et ea posuit super altare, quibus Praeses, Episcopi omnes et Administrator sua quisque mann subscripserunt.

Post nominum appellationem, institit Promotor pro fine imponendo Concilio et assentientibus Patribus promulgatum est decretum de Concilio terminando:

Gulielmus Henricus Elder etc.

Quum omnia quae hoc Concilium Provinciale deliberanda, statuenda decernenda sibi proposuit, Deo adjuvante, jam peracta et ad fidem deducta sint, nihilque supersit, quod deliberandum foret, praetereaque pastoralis cura Rmos. Patres,

qui huic Synodo intersunt, ad gregem eorum sollicitudini subditum revocet; de assensu eorumdem Rmorum. Patrum statuimus et decernimus, huic synodo nunc finem fieri et jam factum esse. Deo gratias.

Gulielmus Henricus Elder,
Ep. Avarae etc.

Notarius interpellatus de actis hujus Sessionis ultimae fideliter conficiendis se id praestiturum promisit.

Deinceps Illmus. ac Rmus. Praeses, Episcopus Avarensis, gravi sermone congregatos Praelatos et Presbyteros allocutus, incohavit hymnum laudis ambrosianum "Te Deum."

Quo expleto orationem "Nulla est" ex Pontificali pie recitavit. Tunc Patribus cum mitris stantibus Illustrissimo ac Reverendissimo Episcopo Wayne-Castrensi praecinente, choro cum Synodalibus respondente, factae sunt quae sequuntur *Acclamationes.*

ACCLAMATIONES.

Episcopus. Sanctissimae et Individuae Trinitati, aeterna gloria et gratiarum actio!

Chorus. Charitas Pater, Gratia Filius, Communicatio Spiritus Sanctus, O Beata Trinitas!

Episcopus. Beatissimae Mariae, ob praevisa Filii sui merita ab Originali Labe preservatae, harum Foederatarum Provinciarum almae Patronae, laus et veneratio!

Chorus. Benedicta sit Virgo Deipara, sine Labe Originali Concepta, quae est Turris Eburnea ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium!

Episcopus. Beatissimo Pontifici Leoni Papae XIII. feliciter regnanti, totius Ecclesiae capiti, ac vero Christi in terris Vicario, illibata prosperitas, aeterna memoria!

Chorus. Impleat Dominus petitiones Sanctissimi Patris, et ita omne consilium ipsius adversus inimicos dilectissimae Christi Sponsae confirmet, et ad nihilum deveniant tanquam aqua decurrens, et sicut deficit fumus deficiant!

Episcopus. Illmo. ac Rmo. Archiepiscopo Cincinnatensi, et suo Coadjutori hujus Concilii Praesidi, cujus officio et opere

hoc Concilium Provinciale coadunatum, directum et ad felicem finem est perductum multis annis magnae gratiae!

Chorus. Cum multis annis magnae gratiae! Dominus retribuat operum ejus mercedem; immarcescibilem gloriae coronam percipiat!

Episcopus. Rmis. Episcopis, qui hoc Concilium Provinciale doctrina prudentiaque sua illustrarunt, felicem ad eorum gregis reditum, vitam, et in Deo omnia fausta!

Chorus. Pax sempiterna, uberrima Omnipotentis benedictio, et laborum beata retributio!

Episcopus. Rmis. Abbatibus ac Admodum Rdis. Religiosarum Communitatum Superioribus, necnon et Theologis, qui sua doctrina suoque opere Patres in tractandis negotiis juvarunt, incrementum gratiae, aeterna felicitas!

Chorus. Det eis Deus, secundum Suam bonitatem, omne donum perfectum! Deus scientiarum et veri luminis fons indeficiens mentes eorum supernae claritatis lumine illustret, gratia foveat, virtuteque corroboret!

Episcopus. Clero istius Provinciae, et universo Christi gregi, salus et benedictio a Domino!

Chorus. Vias Tuas, Domine, demonstra illis, et dirige eos in veritate Tua, ut non obliviscantur opera Altissimi, et mandata ejus exquirant!

Episcopus. Almae nostrae Reipublicae, pax summa, prosperitas plena, ac Dei Omnipotentis supereffluens benedictio!

Chorus. Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi Tu Deus Noster!

Episcopus. Universo harum Provinciarum Foederatorum populo indeficiens, indissolubilis concordia!

Chorus. Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, ut qualibet perturbatione submota, corde uno et anima una libere Tibi deserviant!

Episcopus. Omnibus fidelibus defunctis, qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

Chorus. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis!

Episcopus. Nos vero, ut jubet Apostolus, Praepositis nostris obediamus, eorumque mandatis pareamus, ut cum gaudio nobis invigilent, quasi rationem pro animabus nostris reddituri!

Chorus. Fiat! Fiat! Amen! Amen!

Post *Acclamationes* Episcopi Suffraganei accesserunt ad Praesidem, qui singulis pacis amplexum praebuit et dein Solemnem Benedictionem ritu consueto impertiit. Quibus expletis Diaconus alta voce cantavit: "Recedamus cum pace," et Clerus respondit: "In nomine Christi."

Omnes solemni ordine in sacristiam reversi sunt.

Nicolaus A. Moes,
Thomas S. Byrne, Secretarii.
H. Joseph Richter,

DECRETA CONCILII PROVINCIALIS CINCINNATENSIS IV.

TITULUS I.

DE FIDE AC DOCTRINA CATHOLICA.

CAPUT UNICUM.

De Romani Pontificis Primatu et Infallibilitate.

Quum doctrina Sanctae Matris Ecclesiae de Revelatione, de Ecclesia, deque Hierarchia et regimine Ecclesiae a Patribus Conc. Plen. Balti. II. summa eruditione sit tradita, nostrum modo erit, quae in Sacrosancto Œcumenico Consilio Vaticano de Romani Pontificis Primatu et Infallibilitate declarata et definita sunt, hic adjungere; quae videlicet fidei definitio, haec est:

"Docemus et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere Episcopalis est, immediatam esse; erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles tum seorsum singuli quam simul omnes officio hierarchiae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent: ita ut custodita cum Romano Pontifice tum communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub Uno Summo Pastore."

14

"Haec est Catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest."

"Itaque nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, ad Dei Salvatoris Nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenedam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea Infallibilitate pollere, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit: ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse."

"Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit, anathema sit."

TITULUS II.

De Disciplina Ecclesiastica.

CAPUT I.

De Vita Sacerdotali.

"Nihil est quod alios magis ad Dei cultum assidue instruat," dicunt Patres Tridentini, Sess. 22. Refor. c. I, "quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt; cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino cleros, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum, prae se ferant; levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, in eorum actiones cunctis afferant venerationem."

Verborum quoque Sancti Pauli meminerint sacerdotes: "Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. . . . . . Attende tibi et doctrinae; insta in illis. Hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos qui te audiunt." 1. Tim. IV. 12, 16.

Monemus et in Domino obsecramus sacerdotes verbis Conc. Trid. Sess. 14. Refor. Prooem.: "Ut conversatione, sermone et scientia, commisso sibi Dei populo praeeant, memores ejus quod scriptum est: "Sancti estote, quia ego sanctus sum." Lev. xi. 44. Et juxta Apostoli vocem: "Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei." 2. Cor. vi. 3. Ne illud Prophetae dictum impleatur in eis: "Sacerdotes Dei polluerunt sancta et contempserunt legem." Ezeh. xxii. 26.

CAPUT II.

De Vestitu.

"Oportet clericos," aiunt Patres Tridentini, "vestes proprio congruentes ordini semper deferre." Sess. 14 Refor. c. 6. Renovamus igitur Decretum Conc. Plen.

Balt. II. praescribens, ut omnes sacerdotes hujus Provinciae domi et in Ecclesia veste talari, quae clerico propria est, semper utantur; cum vero foras, prodeunt, quamvis veste breviori induantur, ea tamen sit nigri coloris et infra genua producatur. Expresso praecepto mandamus ut collare romanum tam domi quam foris ferant.

Hac lege volumus etiam alumnos ecclesiasticos, philosophiae vel theologiae vacantes, cum extra seminarium degant, teneri.

CAPUT III.

De Residentia.

Quoad residentiae obligationem Patres Tridentini statuerunt causam absentiae prius per Episcopum cognitam et probandam esse debere. Sess. 23 c. 20. Licentiam vero hujusmodi esse obtinendam declaramus, quoties ultra tres dies a congregatione sua vel a districtu suo sacerdos quilibet, curam animarum in hac Provincia gerens, abfuturus est, etiam quando nulla Dominica aut nullum festum de praecepto intervenerit. Prohibemus insuper, ne assistens per totam diem, multo minus vero ad intempestivam noctis horam, a domo pastorali absit, nisi cum consensu pastoris vel ob causam urgentem curae animarum.

CAPUT IV.

De Examine Ordinandorum.

"Episcopi," aiunt Patres Sac. Trid. Synodi, Sess. 23. Refor. c. 7. "Sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus

exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investigent et examinent."

Memoratae Synodi menti, saltem in quantum fieri possit, necnon Conc. Plen. Balt. II. decretis obsequentes, quae sequuntur regulas hac in re sequendas statuimus:

I. Singuli ad Sacrorum Ordinum susceptionem accedentes coram Episcopo et examinatoribus, ad instar Synodalium, vel aliis sacrae scientiae peritis, et ad hoc munus ab Episcopo deputatis, districto examine se idoneos esse talique honore dignos probare tenentur.

II. At vero, si qui ad diaconatus ordinem jam promoti sunt, proprio Episcopo se sistant Presbyteratus ordinem suscipiendi gratia, volumus ut literas a Praeside Seminarii, in quo studiis theologicis operam dederunt, consignatas et fidem facientes praescriptum studiorum curriculum se peregisse exhibeant; vel si ordinariis magis placuerit, ut in Theologia Dogmatica et Morali Sacrisque Ritibus examini ut supra se subjiciant.

III. Peracto Ordinandorum examine iisque perquisitis de quibus testimonium habere necessarium et opportunum esse videatur, examinatorum erit Ordinarium de omnibus certiorem facere, suamque in scriptis de unoquoque candidato scienter et sincere sententiam patefacere.

IV. "Idem," ut dicunt Patres Conc. Plen. Balt. II., "quoad scientiae periculum cum regularibus, qui ordinandi sistuntur servandum," statuimus et decernimus.

CAPUT V.

De Examine Neo-Presbyterorum.

"Ne disciplinis theologicis," monent Patres Conc. Plen. Balt. II., "canonicis, liturgicis semel operam dedisse sufficiat; semper (sacerdos) aliquid habebit quod ambagibus melius expediatur, vel quod novo lumine illustretur, vel quod memoria elapsum animo iterum altiusque imprimatur."

Laudati concilii votis obsequentes valdeque optantes ut in sacerdotibus rerum divinarum scientia in dies crescat, haec statuere nobis visum est:

I. Juniores de clero semel in anno saltem per quinquennium a sua ad presbyteratus ordinem promotione super quibusdam Sacrae Theologiae tractatibus, a Nobis vel ab iis qui Nostras vices hac in re gerant, proponendis, coram Examinatoribus ad instar Synodalium, doctrinae suae specimina exhibeant.

II. Quodsi examinatorum votis non satisfecerint iterum iterumque, ad nutum Episcopi, etiam quinque supradictis annis elapsis, examini subjiciendi erunt, usque dum de eorum scientia satis constiterit. Interim vero altiora munia obeunda ne appetant.

III. Nobis in decernendis et eligendis quibus competit ecclesiis et missionibus praeesse, ne aliis quidem dotibus praetermissis, examinatorum suffragia magni momenti in posterum erunt.

IV. Neo-presbyteris in hac Provincia facultates pro Sacramento Poenitentiae ministrando fugendi ad tempus, unum annum non excedens, ab Episcopo concedantur.

CAPUT VI.

De Concionatoribus.

Concilium Tridentinum docet, Sess. 5. Refor. c. 2, curam animarum habentes obligari ut per se vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et eorum capacitate salutaribus verbis pascant; sciant autem sacerdotes se ab hac obligatione non per aestivos calores vel alias hujus generis causas excusari; insuper adhortamur sacerdotes ut iis in locis, ubi plures fideles missae parochiali seu principali interesse nequeant, eos qui aliis missis adsunt, breve sermone instruant.

Cum vero gregem salutaribus verbis pascunt caveant:

Ne, ut aiunt Patres Conc. Plen. Balt. II., aliquem nominatim reprehendant, aut insidiosa verborum circuitione ita notent designentque, ut ab omnibus nosci facile possit; neque ad privatam injuriam ulciscendam sacro loco et tempore abuti audeant.

Ne ante vel post concionem vel inter concionandum saepe saepius verba faciant de pecuniis aut generatim de iis quae avaritiam, quam Apostolus speciem idolatriae vocat, aut nimiam erga temporalia solicitudinem sapiant.

Ne inter missarum solemnia celebrans ab altari recedat aedemque sacram circumeat a singulis fidelibus eleemosynam petens, quem turpissimum abusum, Catholicorum ruborem et indignationem, acatholicorum vero irrisionem et contemptum provocantem Patres Conc. Plen. Balt. II. reprobarunt et radicitus exterminandum decreverunt.

Concilii Tridentini decreto, Sess. 24. Refor. c. 7, obsequentes maxime hortamur ac presbyteris praecipimus ut in concionando fidelesque erudiendo praecipua catechismi capita pertractent et pro audientium captu enucleent. Valde etiam commendamus morem, pluribus in locis existentem, diebus Dominicis publice in Ecclesiis catechizandi, eo praesertim fine ut adulti attrahantur et Christianam Doctrinam magis edoceantur.

CAPUT VII.

De Collationibus Theologicis.

"Scientiae sacrae rudimenta in omnium mentibus collationes theologicae conservant; praxim sanam et uniformem pro animarum directione promovent; intellectus inertiam depellunt; ac abusus eliminandi opportunam praebent occasionem." His verbis Patres Conc. Plen. Balt. II. nos docent quot et quanta sunt bona quae ex collationibus theologicis in Ecclesiae, ministerii sacerdotalis, et animarum directionis succursum prodeant. Quae insuper collationes Pius Papa IX. f. r. Episcopos Imperii Austriaci alloquens, ut opportunis regulis in eorum dioecesibus instituantur, sibi optatissimum fore dixit. Quapropter Ecclesiae sanctionibus inhaerentes et Summi Pontificis verba debita cum reverentia suscipientes, haec de collationibus theologicis habendis statuimus:

I. Omnes et singuli hujus Provinciae Sacerdotes, sive saeculares sive regulares, qui facultatibus fidelium confessionis excipiendi gaudent, quater in anno, diebus ab Ordinario accurrate designandis, ad theologicos congressus accedant.

II. Unus ex presbyteris sorte seligatur, cujus erit explicationem quaestionum ab Episcopo propositarum scripto consignatam afferre, et coram adstantibus perlegere; deinde nonnulli ad id in antecessum designati, aliquo temporis spatio inter se de Sacra Scriptura, de Morali vel Dogmatica Theologia aut de Sacrorum Rituum disciplina disserant; et tandem aliquis sermonem de praecipuis sacerdotalibus officiis habeat.

CAPUT VIII.

De Sanctissima Communione Infirmis Administranda.

Quo SS. Sacramenti honori debito et obsequio prospiciatur, quoque infirmorum fides ac reverentia excitentur atque augeantur, quae ab Ecclesia hac super re praescripta sunt et a theologis magni nominis gravissimis quidem verbis inculcata, observanda statuimus:

Igitur, 1° Sacerdotes in Ecclesia e tabernaculo Sanctissimum extrahentes semper sint stola et superpelliceo induti, curentque ut duo coerei sint accensi. 2° Sacerdotes infirmis Sacram Eucharistiam ministraturi, nisi gravis quidem causa ab hoc liberet, superpelliceum et stolam albi coloris, et, in quantum fieri poterit, vestem talarem secum ad domos infirmorum aut deferant aut deferendum curent, quibus induti Sanctissimum Sacramentum infirmis administrent.

CAPUT IX.

De Funeribus.

"Enixe adhortamur," aiunt Patres Conc. Cinc. III., omnes hujusque Provinciae pastores, ut totis viribus studeant observare antiquissimum et piissimum morem exequias defunctorum mane peragendi cum Missa de Requiem, praesente cadavere; simulque ut graviter et acriter exprobent omnem luxum profanum et inanem

pompam in funeribus fidelium." Huic antecessorum nostrorum menti inhaerentes adjungimus: Curent pastores cum cadaver post usum rationis defuncti ad Ecclesiam delatum est, area super feretrum posita cooperiatur palla nigra, supra quam nihil ponere licet. Insuper moneant sibi subditos ut, quae pro floribus, mundano more, et pro longo curruum conductitiorum agmine profundi solent, in missas, eleemosynas aliaque opera pia, ad solamen animabus in purgatorio detentis ferendum, impendantur.

CAPUT X.
De Vicariorum Officiis.

Cum Rectoribus ecclesiarum cura animarum commissa sit, sacerdotes assistentes seu vicarii, quibusdam ecclesiis ab Episcopo adsignati, iisdem in omnibus quae ad munus pastorale spectant subesse et obedire debent. Vicariorum officium est, ut in sacramentorum administratione, in Verbi Divini praedicatione, in puerorum instructione et praeparatione ad sacra sacramenta suscipienda, et in scholarum visitatione auxiliis sint Rectoribus.

CAPUT XI.
De Decanis Foraneis.

Ad disciplinam ecclesiasticam tuendam, bonos mores conservandos et abusus extirpandos, Patres statuerunt:

Ut in unaquaque hujus Provinciae Dioecesi Decani Foranei nominentur, eisque districtus definiti ab Episcopo adsignentur. Decanorum Foraneorum officium erit singulas missionum ecclesias et scholas Catholicas decanatus quoque anno visitare, ecclesiarum et scholarum conditionem investigare, collationibus

theologicis praeesse, moribus et vitae sacerdotum ac eorum in cura animarum industriae invigilare, infirmos sacerdotes inspicere, et defunctorum exequiis moderari, sacrorum vasorum et omnium quae ad cultum divinum pertinent, decentiam exquirere. De quibus omnibus Episcopo in scriptis et fideliter saltem semel in anno reddere debent rationem.

De scholarum Catholicarum visitatione Episcopo faciant accuratam relationem; scilicet, de magistrorum et discipulorum numero, de studiorum cursu et modo, de puerorum moribus et pietate et de doctrina Christiana. Decani Foranei, insuper presbyterorum minores defectus, absque tamen figura judicii, corrigere eorumque jurgia leviora in suis districtibus amice componere valent et debent.

CAPUT XII.
De Nogotiis Saecularibus.

Saecularia negotia clericis a sacris canonibus vetantur. Hinc iterum atque iterum monemus hujus Provinciae sacerdotes, ne rerum bonorumve quorumlibet aut pecuniae mercaturam faciant, ne quaestuosas suo nomine vel sub alieni nominis involucro negotiationes exerceant; ne pecunias in depositum accipiant; ne in aliorum negotiis procuratores, aut testamentorum a laicis confectorum executores, inconsulto Episcopo, fiant; ne cujusvis curam ac tutelam, praeter quam suorum, nisi Episcopo consentiente, suscipiant. Huc spectat etiam quod decreverunt Patres Con. Plen. Balt. II., de arte medica et chirurgica: "Medicinam et chirurgiam, nec lucri gratia nec charitatis specie, exerceant, qua in re districte servanda praecipimus ea, quae a Benedicto XIV. statuta sunt."

CAPUT XIII.

De Litibus Clericorum in Foro Civili.

Meminerint sacerdotes moniti Patrum Conc. Balt. II. circa tribunalia profana: "Tribunalia profana negotii aut litis causa temere ne adeant. Ubi cum homine etiam saeculari et de rebus temporalibus difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res aliter componi nequeat: Ecclesiae vero honorem temnit et sacros canones conculcat, quicumque personae ecclesiasticae vel religiosae, de rebus quae ad forum Ecclesiasticum pertinent, coram profano judice litem intenderit.[1]

CAPUT XIV.

De Quibusdam Locis Clerico Vitandis.

Clerico interdicimus aditu et usu cauponarum, excepta necessitatis causa in itinere, tabernarum, popinarum et aliorum hujus generis locorum; ne theatra, ludos scenicos spectatum aut dramata musica auditum adeant.

CAPUT XV.

De Abusu in Rebus Ecclesiasticis Evulgandis.

Cum nostris temporibus non raro accidat ut aut clerici aut laici Episcopi in administranda dioecesi agendi rationem de iis praesertim, quae ad disciplinam ecclesiasticam spectant, per ephemerides publicas libellosque in vulgus editos, discutere, inique judicare et carpere audeant, necnon auctoritatem ecclesiasticam acatholicorum irrisui tradere fidelibusque in suspicionem adducere conentur, hujusmodi abusum perniciosissimum et non tolerandum reprobamus.

[1] Vide App. III., p. 299.

Clerici igitur, qui vel contra auctoritatem ecclesiasticam, vel contra alium clericum per ephemerides publicas, vel per libellum in vulgus editum, sive per se, sive per socios, sive per alios quoscumque ab ipsis concitatos, ad sententiam plebis injuste aut scandalose appellent, eo ipso condemnatos esse declaramus, et, culpa probata, Episcopi iudicio censuris canonicis puniendos esse.

TITULUS III.

De Bonorum Ecclesiasticorum Administratione.

CAPUT I.

De Auxiliariis Laicis in Administratione Bonorum Ecclesiasticorum.

Quum Sancta Sedes, urgente necessitate, toleret, ut Rectori Ecclesiae auxilio sint viri laici, qui ei adsistant in rerum temporalium administratione; cumque talis agendi ratio in nonnullis hujus Provinciae regionibus obtineat, ne forsan mala ex hujusmodi provisione proveniant, et ad praecavenda—"gravia incommoda quae exinde oriri solent, quaeque propterea, ubi existunt aeditui, sunt devitanda"[1]—sequentes regulas observandas, quando Ordinarius auxiliarios laicos adhibendos esse judicaverit, statuere censuimus:

I. Episcopi esse judicare tum de necessitate auxiliarios laicos adhibendi, tum de modo eos designandi.

II. Auxiliarios laicos vel aedituos nullum in facie potestatis civilis statum habere legalem, sed tantum coadjutores esse Rectoris.

[1] Decr. Approb. Actorum et Decretorum Syn. Prov. III., Cincin. Kal., Feb., 1862. a S. C. de P. F.

III. Eos, quocumque modo selectos, necessario, antequam munus suscipiant, ab Ordinario in scriptis esse adprobandos, et, quandocumque ipsi benevisum fuerit, ad nutum esse amovibiles.

IV. Insuper, auxiliarios laicos, ubi Episcopus electionem expedire judicaverit, ex iis solummodo esse a fidelibus seligendos, quorum nomina ab ipso Rectore ecclesiae fuerint ad hoc proposita.

V. In seligendis auxiliariis laicis ii tantum viri vocem sive activam sive passivam habere possunt qui, annos nati unum et viginti,

(*a.*) Praecepto Paschali satisfecerint.

(*b.*) Unam saltem sedem per annum elapsum in ecclesia propria conduxerint ejusque pretium solverint, aut alio debito modo, juxta ordinem constitutum ad sustentationem ecclesiae propriae vel cultus divini contribuerint.

(*c.*) Prolem suam instituendam scholis catholicis committere minime neglexerint.

(*d.*) De quibus sub ipsam electionem vel paulo ante minime constiterit eos socitati cuivis secretae nomen dedisse.

VI. Coetus auxiliariorum laicorum sic constituti, ecclesiae Rector ex officio erit praeses; nec licebit sine ejus consensu res administrandi causa convenire, multo minus quid agendum statuere.

CAPUT II.

De Ratione Reddenda.

"Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cujusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur

reddere rationem administrationis Ordinario; consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis. . . . . Quod si ex consuetudine aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius, et aliter factae liberationes dictis administratoribus minime suffragentur." Conc. Trid. Sess. XXII, de Ref., caput 9.

Patres igitur statuunt et mandant, ut unusquisque Ecclesiae Rector, cui animarum cura commissa est, tam ordinariorum quam extraordinariorum redituum expensarumque quocumque fonte exorientium, reddat rationem suo Episcopo singulis saltem annis mense Januario; ut in ista relatione annua, summa totalis debitorum, nomina creditorum, summa cuique debita, atque annus et dies qua Episcopi permissio ad dicta debita contrahenda data fuit, perscribantur. Quae rationum relatio Rectoris et auxiliariorum laicorum signatura firmanda et probanda est, antequam ad Episcopum transmittatur. Singulis saltem annis, die aliqua, Dominica intra mensem Januarium, ista annua administrationis ratio a Rectore in ecclesia post missam cantatam seu principalem promulganda est. (Vide Conc. Prov. Cincin. II. Decr. 6.)

Si quis vero Rectorum ultra mensem unum istam rationem annuam Episcopo reddendam negligat aut rationem reddere de facto recuset, data monitione canonica, dignis poenis Episcopi judicio afficiatur.

Jam quum maxime intersit ut qui bonorum temporalium administrandorum curam habent, codices accepti et expensi accurate et juxta ordinem redigant aut redigi curent, statuimus ut in posterum alumni antequam ad Philosophiae aut Theologiae studia in

Seminariis Majoribus admittantur, in inferioribus scholis artem rationariam (book-keeping) doceantur.

CAPUT III.

De Ære Alieno aut Pecuniis in Depositum Datis.

Ne in posterum hac in Provincia Ecclesiastica, invitis Episcopis, aere alieno onerentur ecclesiae aut fidelium fiducia quis abutatur, et ad praecavenda scandala quae exinde oriri solent, Patres statuerunt et decreverunt:

Ne Rectores ecclesiarum eorumque auxiliarii laici, ab hoc inde tempore, sive nomine ecclesiae, sive suo proprio nomine ut officiales ecclesiae, pecunias mutuo seu in depositum, ut dicunt, foeneris causa accipiant. Ubi vero iste agendi modus adhuc vigeat, quam primum e medio tollatur.

Ne quis Rectorum inconsulto et invito Episcopo suo imo sine expresso in scriptis ejus licentia sive per se, sive per auxiliarios laicos, sive per quoscumque alios ecclesiam aere alieno gravet, aut praeter ordinarios sumptus, aliquid expendat. Quod si quis hoc statutum violaverit, poenis canonicis ab Episcopo plectetur.

Ne in ullo casu episcopus ecclesiam aliquam aere alieno gravari permittat, nisi plane ipsi demonstratum sit ultra sumptus ordinarios et foenera aliquam aeris alieni partem unoquoque anno ex ordinariis ecclesiae reditibus solvi posse.

Ut Rectores Ecclesiarum certiores se reddant in libro cui titulus "De aere alieno" (church-debts), relata et inscripta esse creditorum singulorum nomina pecuniarumque summas unicuique creditorum debitas, diem

quoque mensis et anni qua summae istae ecclesiae datae fuerunt et qua foenera solvenda sunt; annum demum diemque mensis qua Episcopi permissio data fuit. (Vide Conc. Prov. Cin. I., Decret. XI.)

CAPUT IV.

Salaria Sacerdotum ex Ærario Ecclesiae sunt Solvenda.

"Dignus est operarius mercede sua," Luc. X., 7; "Qui altari deserviunt, cum altari participant." 1. Cor., IX., 13.

Annui salarii summa sacerdoti ab ecclesia cui praeest solvenda est. Quae si ab ecclesia non fuerit soluta, ab Episcopo dioceseos exigi non potest ut ipse eam pendat. Episcopus vero in Synodo aut extra Synodum e Consultorum consilio fixam summam definiat, quae ab Ecclesiae Rectore congruae seu salarii nomine percipi possit.

Nemini sacerdotum licebit salarium inconsulto Episcopo in ecclesiae aerario relinquere, nisi totum aut ejus complementum elapso uno integro anno a die quo salarium ei debitum evaserit, absque ulla conditione ecclesiae cedat.

CAPUT V.

De Ecclesiis, Oratoriis, etc. Ædificandis et Conservandis.

Cum sacri canones prohibeant ne nova templa sine Ordinarii auctoritate erigantur, statuimus et mandamus, ut ad novam ecclesiam vel novum oratorium publicum aut novam scholam vel domum parochialem exstruendam Episcopi permissio in scriptis obtinenda sit antequam aedificium ullo modo incohetur.

Delineatio novae ecclesiae, scholae vel domus aedificandae necnon et aestimatio ab architecto data sive novi aedificii sive reparationis seu novae constructionis veteri ecclesiae, etc., addendae, Episcopo cum literis supplicibus mittendae sunt; Rectoresque caveant ne ullo titulo praetextuve in aedificando summam pecuniae excedant quam ut expenderent Episcopus ipsis permiserit.

Si vero ipse Rector cujusvis missionis aut ecclesiae novam ecclesiam vel scholam aut domum sine Episcopi permissione aedificare praesumpserit aut novas constructiones veteribus absque requisita auctoritate addiderit vel per alios quoscumque fieri permiserit, probata culpa, judicio sui Episcopi corrigendus est.

CAPUT VI.

De Titulo Fundi Ecclesiarum.

Fundus quisque ad usum ecclesiasticum aut pium dono datus emptusve, literis seu instrumentis emptionem aut donationem testantibus, seu syngrapha in favorem Episcopi dioceseos, in qua fundus situs est, conscripta in tuto collocari debet; et quidem ita, ut Episcopus pleno juris titulo et proprio nomine (by deed in fee-simple in the Bishop's own name) sine ullis conditionibus fundum teneat.

Si vero fundum, sive ad pium usum donatum sive ex aere ecclesiae vel fidelium donis emptum, sacerdos, sui ipsius proprio nomine teneat aut nomine cujusvis laici teneri suaserit vel hypotheca proprio vel alterius nomine gravet, talem sacerdotem a sacris suspendendum declaramus.

TITULUS IV.

De Matrimonio.

CAPUT UNICUM.

Leges Ecclesiae bannorum proclamationes spectantes strictissime observari volumus. Si nupturientes ex diversis sint locis, in utroque proclamationes fieri debent et testimonium ab altero ecclesiae Rectore datum de libero sponsorum statu, exhiberi oportet Rectori, coram quo Matrimonium erit celebrandum. Si graves adsint causae quas propter bannorum publicationes omittantur, dispensatio obtinenda erit ab Ordinario. Concedimus tamen Rectoribus Missionariis ut in locis ubi bis tantum in mense SS. offertur Sacrificium, ab una quidem proclamatione ipsi dispensare valeant, a duabus vero ubi semel tantum in mense Missa celebratur, dummodo morali certitudine constet nullum obesse impedimentum.

Matrimonia Catholicorum cum haereticis vel infidelibus semper detestata est Ecclesia. Ut fideles ab hoc malo inter nos gravissimo arceantur, jubemus animarum pastores "ut tempore praesertim Adventus vel Quadragesimae, gravi sermone greges sibi commissas mala quae ex illis pullulant edoceant, simulque fidei pericula indicent, quae tum sponso catholico, tum proli suscipiendae imminent; gravissima ostendentes fuisse rationum momenta quibus permota Christi Ecclesia id genus nuptias acriter semper vetuerit ac etiamnum vetet." Conc. Plen. Balt. II. Dec. 336.

Pastores animarum prae oculis habeant Episcopos, eo quod potestate dispensandi de Matrimonii impedimentis non nisi delegata gaudeant, nec valide nec

licite dispensare posse, nisi adsit dispensandi causa canonica; ideoque diligenter inquirant sacerdotes de causis quae adsint, easque in scriptis clare et lucide exponant. In mentem revocare juvabit Instructionem S. Cong. de Prop. Fide, diei 25 Martii, 1868, occasione Conc. Plen. Balt. II. ad Archiepiscopum Baltimorensem datam et in appendice ad acta et decreta istius Concilii sub. No. XXXIII contentam, in qua distincte et perspicue declaratur, cautiones et promissiones ab Ecclesia in matrimoniis mixtis requisitas *non* constituere causam canonicam dispensandi, sed meram esse *conditionem sine qua non* a naturali et divino jure requisitam; praeter has cautelas et promissiones requiri justas et graves causas ut concedi possit dispensatio.

Quum matrimonium sit magnum Sacramentum in Christo et in Ecclesia, rite semper et sancte celebrandum est. Curent igitur pastores ut fideles ad hoc Sacramentum recipiendum bene parati accedant et sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae devote prius suscipiant. Memores insuper moniti Ritualis Romani "uterque sciat rudimenta fidei cum ea deinde filios suos docere debeant," sacerdotes curam animarum habentes sedulo inquirant utrum sponsi sint sufficienter instructi in doctrina Christiana; quos, si insufficienter eruditos deprehenderint instruant antequam Matrimonium celebretur.

Vehementer quoque hortamur pastores animarum ut praxim benedicendi matrimonia intra Missam ubique introducant. Si ob graves causas matrimonium sub vespere celebrare expediat, seclusa omni pompa et sine concursu populi fiat.

Si quis coram magistratu civili tantummodo, vel quod pejus coram praecone haeretico, matrimonium contrahere praesumpserit, absolutio sacramentalis ei denegetur, donec salutari poenitentia ab Ordinario imposita, scandali hujus gravissimi dignam et adaequatam reparationem praestiterit.

Si sponsi non sint sufficienter noti aut, diligenti investigatione instituta, non clare constet ab ligaminis impedimento eos esse immunes, Episcopi procedant juxta instructionem Supremae Inquisitionis ad probandum obitum conjugis priusquam ad matrimonium contrahendum admittantur.[1]

Cum definita sit Catholica doctrina causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos, (Con. Trid. Sess. 24. can. 12.) ad separationem a mensa et thoro petendam, tribunalia civilia adire non licet, nisi causa prius probata a judice ecclesiastico, ad rationes dumtaxat civiles legaliter stabiliendas. Quare hujusmodi separationem a tribunali civili, inconsulta auctoritate ecclesiastica, petentibus deneganda est absolutio et casus Episcopo reservatur.

Non solum Matrimonia solemnia omnino prohibentur intra tempora clausa Adventus et Quadragesimae, sed etiam privata absque Episcopi licentia celebrari vititum est.[2]

TITULUS V.

DE SCHOLIS CATHOLICIS ET PUBLICIS.

CAPUT UNICUM.

Quum minime incolumitati fidei consultum sit, nisi pueri catholice instituantur, idcirco renovantes pluries

1 Vide App. Con. Plen. Balt. III., p. 258. 2 Vide App. V., p. 301, 304, 306.

ab Antecessoribus nostris dicta, monemus omnes Christi-fideles ne quidpiam omittant vel quodcumque subire recusent onus, necessarium ad hunc praestantissimum finem: prolis suae educationem Catholicam.

Hujusmodi educatio dari vix unquam potest nisi schola Catholica habeatur, quapropter unicuique Rectori una cum populo incumbit debitum, talem erigendi scholam, quae majoris interest quam templi splendor et amplitudo.

Quinimo, adeo oportet scholam minime negligi, ut si quis Rector tam segnis sit ut scholam Catholicam habere recuset, vel scholam Catholicam parum curet, hujusmodi agendi ratio causa sufficiens existimanda sit pro translatione Rectoris, vel etiam pro muneris ad tempus privatione.

Quo melius providentur educationi Catholicae, et ut certa studiorum ratio in scholis instituatur, statuimus:

(*a.*) In unaquaque Dioecesi nominetur ab Ordinario congregatio studiorum, ad quam, praeter alios, ex officio pertinebunt Decanii Foranei. Hujus congregationis erit omnia quae scholas Catholicas parochiales spectant moderari. Habeatur insuper in urbibus ubi plures sunt ecclesiae, studiorum congregatio specialis sub omnimoda directione congregationis dioecesanae.

(*b.*) In locis majoribus schola superioris gradus, ubi fieri potest, stabiliatur.

(*c.*) In Religiosis Institutorum Societatibus unoquoque anno examen habeatur, in quo juniores et novitii scientiae specimen exhibeant, praesentibus quibusdam ex congregatione dioecesana, ad hoc ab Ordinario delegatis, qui schedae gradus excellentiae examinatis tradendae nomen apponere poterunt.

(*d.*) Magistri et magistrae laici ab examinatoribus dioecesanis examinandi sunt.

Fructus autem ex venditione librorum in scholis adhibitorum a magistris facta, in bonum scholarum, praesertim in libris pro pauperibus pueris comparandis, usurpentur.

Regulariter loquendo, ubi sufficiens schola Catholica habetur, parentes absque peccato, plerumque gravi, filios ad scholas publicas mittere non possunt. Adjuncta vero aliquando talem agendi modum excusare possunt, ubinam vero haec adjuncta existant, ad Episcopum pertinet judicare.

Ne hac super re ullum subesse possit dubium, omnibus notum facimus quod Sac. Cong. de Prop. Fide in Instructione de scholis publicis ad Rmos. Episcopos in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis scribit, die 24ª Nov., 1875, Summo adprobante Pontifice: "Oportet igitur ut Praesules Amplissimi quacumque possunt ope atque opera, commissum sibi gregem arceant ab omni contagione scholarum publicarum. Est autem ad hoc, omnium consensu, nihil tam necessarium quam ut Catholici ubique locorum proprias sibi scholas habeant, easque publicis scholis haud inferiores. Scholis ergo Catholicis, sive condendis ubi defuerint, sive amplificandis et perfectius instruendis parandisque in institutione ac disciplina ut scholas publicas adaequent omni cura prospiciendum est."

"Ceterum Sac. Congregatio non ignorat, talia interdum rerum esse adjuncta, ut parentes Catholici prolem suam, scholis publicis committere in conscientia possint. Id autem non poterunt, nisi ad sic agendum sufficientem causam habeant; ac talis causa sufficiens in casu aliquo particulari utrum adsit necne, id con-

scientiae ac judicio Episcoporum relinquendum erit; et juxta relata tunc ea plerumque aderit, quando vel nulla praesto est schola Catholica, vel quae suppetit, parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suae congruenterque adolescentibus."

Ex his patet obligatio strictissima Episcoporum instituendi, parandi, amplificandique, fidelium vero erigendi et sustentandi scholas Catholicas "scholis publicis haud inferiores."

Quoad casus, qui Episcopi judicio relinquendi sunt, Sac. Cong. de Prop. Fide adjungit: "Quae autem ut scholae publicae in conscientia adiri possint, periculum perversionis cum propria ipsarum ratione plus minusve nunquam non conjunctum, opportunis remediis cautionibusque fieri debet ex proximo remotum. Est ergo in primis videndum utrumne in schola, de qua adeunda quaeritur, perversionis periculum sit hujusmodi, quod fieri remotum plane nequeat; velut quoties ibi aut docentur quaedam aut aguntur, Catholicae doctrinae bonisve moribus contraria, quaeque citra animae detrimentum, neque audiri possunt, neque peragi. Enimvero tale periculum, ut per se patet, omnino vitandum est quocumque damno etiam vitae."

Ubi data adjuncta non existunt, vel ubi perversionis periculum remotum fieri non potest, deneganda est absolutio parentibus qui prolem suam ad scholas non Catholicas mittunt, uti patet ex citata Sac. Cong. de Prop. Fide instructione: "Hanc autem necessariam Christianam institutionem et educationem liberis suis impertire quotquot parentes negligunt; aut qui frequentare illos sinunt tales scholas, in quibus animarum ruina evitari non potest; aut tandem qui licet schola Catholica in eodem loco idonea sit, apteque instructa et parata,

seu quamvis facultatem habeant in alia regione prolem catholice educandi, nihilominus committant eam scholis publicis sine sufficienti causa ac sine necessariis cautionibus, quibus periculum perversionis e proximo remotum fiat, eos si contumaces fuerint absolvi non posse in Sacramento Poenitentiae, ex doctrina morali catholica manifestum est."

Scholas saepe saepius invisant Rectores, et pueros, praesertim eos qui ad Sacram Synaxim primo suscipiendum admittendi sunt, per seipsos catechismum edoceant.

Quod ad educationem excellentioris gradus spectat, optandum est ut in collegiis nostris majori studio disciplinis metaphysicis et ethicis juxta doctrinam St. Thomae Aquinatis, opera navetur.

TITULUS VI.

De Societatibus Catholicis et Confraternitatibus.

CAPUT I.

De Societatibus Catholicis.

Quantum in Ecclesia valeant societates, ipse Summus Pontifex Leo XIII., feliciter regnans, nos docet in sua Epistola Encyclica, die 15 Februarii c. a. data, in qua Archiepiscopos, Episcopos et alios locorum Ordinarios in regione Italica alloquens, ait: "Ad hanc" (illorum veterum, quorum laboribus et sanguine fides catholica adolevit) "alendam augendamque experrectam virtutem, curare ac providere opus est, ut numero, consensu, efficiendis rebus, floreant lateque amplificentur

societates, quibus maxime propositum sit fidei Christianae virtutumque ceterarum retinere et incitare studia. Tales sunt consociationes juvenum, opificum: quaeque constitutae sunt aut coetibus Catholicorum hominum in tempora certa agendis, aut inopiae miserorum levandae, et tuendae dierum festorum religioni, et pueris ex infima plebe erudiendis: aliaeque ex eodem genere complures."

Volumus ergo ut illae Catholicorum Societates "mutuae benevolentiae" nominatae, ab ecclesiarum rectoribus foveantur, dummodo sequentes conditiones quoad finem propositum et quoad sociorum aggregationem ad amussim observent:

I. Quoad finem, Patres decreverunt: (*a.*) Bona temporalia quae ecclesia ab his societatibus acquirit non esse rationem sufficientem ut eae inter Catholicas numerentur; debent insuper per Sacramentorum frequentationem, exhortationes, et alia opera pia, in augmentum religionis conferre:

(*b.*) Nulla societas cujus natura, scopus et statuta post debitum examen non fuerint ab Episcopo probata in scriptis, ut Catholica habeatur:

(*c.*) Societas semel approbata finem vel statuta mutare, inconsulto Episcopo, non protest:

(*d.*) Unaquaeque societas Catholica suum spiritualem moderatorem habeat.

II. Ex parte vero sociorum haec statuimus: (*a.*) Ut sint Catholici:

(*b.*) Ut sint bonae famae:

(*c.*) Ut praeterquam diebus in statutis designatis, saltem tempore paschali ad Sacram Synaxim in propria ecclesia accedant:

(*d.*) Ut debito modo ad sustentationem propriae ecclesiae et cultus divini stipem conferant:

(*e.*) Ut pueros si quos competentis ætatis habeant, et schola Catholica adsit, ad eam mittant:

(*f.*) Ne ratione morum aut inobedientiae erga auctoritatem ecclesiasticam ullum praebeant scandalum.

Moderator societatis Catholicae instituitur ab Episcopo; ad eum pertinet judicium de supradictis conditionibus; neque sine ejus consensu aliquem ut socium cooptare licet.

Societas quae socium in quacumque ex his conditionibus deficientem, et praeviae monitioni non obtemperantem, non ejicit, in posterum ut Catholica non habebitur. Mens tamen nostra non est omnes societates, quas ut Catholicas non agnoscimus, ex hoc solo capite condemnare, dummodo alio vitio non laborent, nec a Sancta Sede sint reprobatae.

Exceptis militaribus et municipalibus, nulla societas, modo supradicto non agnita et approbata ut Catholica, in ecclesiam admittatur, aut processionibus intersit ut societas, *i. e.* cum socii insignia ferunt vel tanquam socii congregantur.

CAPUT II.

De Confraternitatibus.

"Inter media ad salutem animarum utilia," aiunt Patres Conc. Plen. Balt. II. "praecipuum locum habent piae illae sodalitates, seu confraternitates, quae ab ecclesia probatae, et ex Indulgentiarum thesauro ditatae, nostri praesertim seculi malis corrigendis aptissimae videntur." Quod et quanta vero bona ex hujusmodi societatibus oriri solent ecclesiae testantur annales, et nostris etiam oculis jam undique perspici-

mus. Cum societates vero infidelium et hominum perditorum communi consilio et zelo vehementi in mores fidemque Christianam impetum faciunt, communibus et nos conatibus ad virtutem et fidem conservandam laborare debemus.

Enixe igitur exhortamur hujusce Provinciae pastores, ut in posterum majori ubique studio hujusmodi confraternitates seu sodalitates, praesertim eas quae indulgentiis locupletatae sunt quam maxime foveant. Ut autem omnia ordine procedant et omnis discordiarum et diversorum studiorum occasio amoveatur, eas praecipue societates, quae nominatim a Patribus Conc. Plen. Balt. II. enumerantur, rectoribus maxime commendamus, et volumus ut saltem una vel altera in quaque hujus Provinciae ecclesia quam primum erigatur.

"Cum vero manifestum Patribus sit pias societates magno numero et diversa forma instituendas esse in unaquaque dioecesi, pro diversis locorum et temporum necessitatibus haec regulae generalis instar in earum moderamen, notare voluerunt:

"I. Novae societates non instituantur, si veteres sufficiant. . . . .

"II. Sacerdos novam non instituat societatem, nisi venia praehabita Episcopi, quae in scriptis dari et servari debet.

"III. Si novas societates instituere necessarium sit, adhibeantur, in quantum fieri possit veterum regulae et agendi praxis, nimirum confraternitatibus canonice erectis Episcopi a S. Congregatione indulgentias obtinendas curent.

"IV. Societas nova ab Episcopo ne probetur, quam non constat esse prorsus Catholicam, tum quoad finem quem sibi praestituunt socii, tum quoad leges quibus devinciuntur, et quae absolute auctoritati canonicae Episcopi non subjaceat. Alias tolerare forte quandoque licet, ast minime probandae sunt." Conc. Plen. Balt. II. No. 480.

Demum, ut Christi-fideles ad hujusmodi Societates alliciantur, media quae ad hunc finem conducunt, pastoribus adhibere commendamus.

TITULUS VII.

De Societatibus Secretis.

CAPUT UNICUM.

1. Divino instinctu praevidens gravissima mala quae ut plurimum ex Societatibus Secretis, nedum temporali reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti inferantur, Ecclesia illas damnare nunquam praetermisit.

Et quo magis illae sectae in dies pullulant et multiplicantur, eo instantius fideles de pernicie earum admonit, eosque poenis ecclesiasticis ab illis deterret. Ita Romanus Pontifex Pius IX. f. r. cum in celeberrima sua constitutione "Apostolicae Sedis Moderationi" data 12ª Oct. 1869, omnes censuras Ecclesiasticas latae sententiae recensendas et in trutinam revocandas curaret, inter eos qui ecclesiasticas poenas, nominatim vero excommunicationem latae Sententiae Romani Pontifici simpliciter reservatam incurant, 4° loco posuit:

"Nomen dantes Sectae Masonicae aut Carbonariae, aut aliis ejusdem generis sectis quae contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam, seu clandestine machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualem-

cumque praestantes, earumve occultos coryphoeos ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint."

2. Quam Cathedrae Principalis Constitutionem legemque omnes totius orbis fideles obligantem, debita cum reverentia suscipientes, praecipimus et mandamus ut omnes Nobis concrediti ad amussim observent; sciantque neminem posse absolutione Sacramentali donari ultimisque Sacramentis muniri, nisi ab ejusmodi societatibus damnatis prius omnino se separaverint, iisque quomodocumque fovere desierint.

3. Nomine autem sectarum citato articulo damnatarum comprehenduntur Societates Masonicae, Carbonariae et Fenianae, omnesque aliae ejusdem naturae et indolis sectae, quocumque nomine appellari et cohonestari solent, quae sive adversus Ecclesiam tantum, sive solum adversus legitimas potestates seu gubernium, sive palam sive clandestine machinantur, exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando. (Sac. Cong. Inq. die 5ª Aug. 1846, et die 12ª Januarii, 1870.)

Neque dubium esse potest quin sectae quae dicantur Communistarum, Socialistarum, Nihilistarum sub censuras ecclesiasticas cadant.

4. Quicumque igitur scienter uni ex societatibus enumeratis aut alii societati jam existenti licet non nominatae, aut in posterum oriturae, quae organizationem sectae Masonicae similem habet, simulque ex instituto semper, et actu quando potest, contra ecclesiam vel legitimas potestates palam aut clandestine conspirat, nomen dat, vel ejusmodi sectis qualemcumque favorem praestat, censuras ecclesiasticas non effugit, licet ipse personaliter non machinetur.

5. Quod autem ad reliquas societates profanas attinet, quae quidem neque contra Ecclesiam neque adversus legitimas potestates machinantur, sed nihilominus asseclas suos, sive juramento emisso, sive mera fide data, ad secretum servandum adstringunt, eae sectis citato articulo damnatis et sub poena excommunicationis Papae reservatae vitandis annumerandae Nobis non videntur. Certo autem graviter illicitae, ideoque sub gravi peccato vitandae sunt associationes eae in quibus socii se obligant ad illimitatem obedientiam, et ad caece exequenda omnia quae ab officialibus coetus forte praecipiantur.

Idem dicendum de iis sodalitatibus in quibus tam arctum secreti foedus ineant, ut illud ne auctoritati quidem ecclesiasticae legitime interroganti extra S. Poenitentiae tribunal impune revelari possit. Si quae vero societas presbyterum proprio marte sibi vindicet aliumve ministrum cultus, qui rituali ac caeremoniis propriis pro suo lubitu utatur, adscripti censuras contra schismaticos vel haereticos latas incurrunt.

Quod si e contra, juramentum vel promissio de secreto servando, eo sensu emittitur et intelligitur, ut secretum auctoritati ecclesiasticae, quoties ab ea requiritur, manifestetur; neque aliquid illicitum in signis, fine, et mediis societatis requiratur, tum ne confusio disciplinae inter varias Dioeceses habeatur, Archiepiscopus rem conferat cum ceteris Archiepiscopis Statuum Foederatorum. Quod si societas damnanda omnibus non videatur recurrendum erit ad Apostolicam Sedem.

6. Praemissa ad sodalitates operariorum in specie applicantes, arbitramur consociationes eas quae et statuta sua et secretum auctoritati legitime requirenti inspicienda non recusant, neque aliud sibi pro-

ponunt quam sodalium in propria arte exercenda, in conditione sua mediis licitis amelioranda, in juribusque suis defendendis, mutuam tutelam et juvamen, per se licitas esse.

Fateri tamen cogimur magnum esse periculum ne justitiae leges erga privatos violent, neve ad sectas damnatas accedant. Quod et eo magis timemus, quia operarii uniuscujusque religionis et sectae consociantur, et quia perniciosae Socialismi doctrinae, tanquam novae terrenae beatitudinis evangelium iis a confratribus suis, praesertim ex Europa advenientibus, non raro praedicantur et laudantur.

Ne forte gravissimis in periculis quibus praesertim juniores opifices circumdantur, tentationibus succumbant, et laborem forte pertaesi, falsis illis doctrinis alliceantur, "oportunum videtur" uti monet Romanus Pontifex feliciter regnans Leo XIII., in Epistola Encycl. ad totius orbis Episcopos data die 28[a] Decembris, 1878, "artificum atque opificum societates fovere, quae sub religionis tutela constitutae, omnes socios sua sorte contentos operumque patientes efficiant, et ad quietam ac tranquillam vitam agendam inducant."

7. Ne tamen male suspicentur operarii se monitis hisce ab Ecclesia impediri quominus justum pretium operum suorum exigant, omnibusque mediis licitis comparent. Quae enim theologia moralis de monopoliis privatis docet, in favorem operariorum quoque interpretanda sunt.

Graviter tamen iliciti essent illi conventus e quibus periculum turbarum, caedium, incendiorum, oriretur.

Quare Catholicis operariis nullo modo permitti posset injuriae ferendae vel operam dare vel, quando in

comitiis coetus aliquid injustum decernitur, ei suffragio suo assentire.

Hortamur autem et in Domino obsecramus fideles "omnes ut occulta illa foedera omnino declinant, mente revolventes se Christi membra esse et Ecclesiae, quae mater nostra est, mandatis teneri, eosque ut filios lucis debere ambulare juxta sanctissima divina illa documenta quae Christus Dominus tradidit." Conc. Plen. Balt. II. decreto 7.

"Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quae enim participatio justiae cum iniquitate? Aut quae societas lucis ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos estis enim templum Dei Vivi, sicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis et inambulabo inter eos, et ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorum et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis." 2. ad Corinthios VI., 14–18.

TITULUS VIII.

De Cantu Ecclesiastico.

CAPUT UNICUM.

Sancta Christi Ecclesia artem musicam et sacram melodiam maximo semper honore habuit, in sacrisque cultus solemniis adhibuit tanquam magnum et praeclarum medium, quo corda et ora fidelium ad Deum laudandum et conglorificandum excitentur.

Magnam etiam curam habuit Ecclesia, ut legibus saluberrimis cantus ecclesiasticus vere purus ac devotus plenusque gravitatis et majestatis servaretur, necnon

et praecaveretur ne, ut monet Benedictus Papa XIV., sacris cum profanis commixtis aures solae inani voluptate demulcerentur quin corda fidelium ad pietatem erigerentur. (De Syn. Dioec. Lib. XI., cap. 7, N°. 1.)

Hinc SS. Synodus Tridentina Ordinariis mandat: "Ut ab ecclesiis musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquod miscetur . . . arceant." (Sess. XXII. Decr. de Observ. et Evit. in Celebr. Missae.) Hinc etiam Concilium Toletanum ann. 1566 habitum praecipit: "Cum ea quae in ecclesiis cantantur ad Dei laudem celebrandum, eo debent cantari modo, quo populi intelligentia, quantum fieri potest, erudiri valeat et religiosa pietas ac devotionis moderatio piorum auditorum mentes ad Divinae Majestatis cultum et ad coelestia desideria excitari queant: caveant Episcopi ne, dum in chorum musicorum modulos vocum omnis generis discrimine confusos admittant, psalmorum et aliorum, quae cantari solent, verba obscurentur, ac simul strepitu incondito sensus sepeliatur."

Praeterea SS. Synodus Tridentina in Sess. XXIV., cap. 12 de Ref. monet Provincialium Conciliorum id etiam muneris esse, normas et regulas statuere, quibus cantus ecclesiasticus rite ordinetur. "Cetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione . . . Synodus Provincialis pro cujusque Provinciae ultilitate et moribus certam cuique formulam praescribet."

Cantus Gregorianus, qui a S. Gregorio Magno nomen ducit, sensu maxime proprio dicitur Ecclesiasticus; meritoque cantui harmonico seu musico, ut vocari solet, praefertur, utpote qui apprime idoneus sit ad excitandos fidelium animos ad devotionem ac pietatem.

Quare vehementer optat haec Synodus et graviter monet ecclesiarum Rectores ut cantum Gregorianum in officiis cultus divini quam primum introducant, necnon et sedulo colant; quod ut promptius fiat, in mentem revocamus monitum Conc. Plen. Balt. II., N° 380: "Insuper valde exoptandum esse censemus, ut rudimenta cantus Gregoriani in scholis parochialibus exponantur et exerceantur, sicque numero eorum qui psalmos bene cantare valent, magis magisque increscente, paulatim major saltem pars populi . . . vesperas et alia similia cum ministris et chora decantare addiscat."

Non tamen per haec omnem musicalem aut figuratam, ut vocant, cantandi modum a sacris functionibus excludere intendimus, imo cantum harmonicum pro majoribus distinguendis festis quammaxime commendamus, "dummodo," ut bene monet Conc. Colon. Prov. ann. 1860, "qui eligitur, non recedat a natura et charactere cantus vere ecclesiastici."

Ut abusus qui, pro dolor, labente tempore in permultis harum provinciarum ecclesiis irrepserunt, e medio tollantur, monemus Rectores ut sedulo invigilent, ne chori rectores missas seligunt quae theatrum aut choreas potius sonant quam cantum ecclesiasticum et ad titillandas aures magis conscriptae videntur, quam ad pios in animis fidelium affectus excitandos. Volumus etiam ut omnino excludantur a cultu divino missae vel cantica in quibus, ordine verborum inverso, textus notabiliter est immutatus aut etiam truncatus verbaque ita modulationi adaptata deprehenduntur ut musica non verbis et sensui, sed haec illi inservire videantur—quod reformatione indigere censuit Sac. Rit. Cong. Feb. 21, 1643.

Idcirco in re tanti momenti haec synodus mandat et jubet ut in posterum nullae Missae, hymni aut alii cantus in sacris liturgicis solemnitatibus adhibeantur, nisi quae regulis ab Ecclesia statutis omnino sint conformata. Insuper statuit ut tres Episcopi hujus Provinciae deligantur quorum erit curam impendere ut ista decreta executioni mandentur.

Rescriptis S. R. Congregationis obtemperantes, volumus ut cantus Introitus, Gradualis, Offertorii, Communionis, necnon et Sequentiae, quando occurrit, in Missis cantatis non praetermittatur, nisi ubi e judicio Episcopi id fieri non potest.

In Vesperis, diebus Dominicis, antiphonae, psalmi ac hymni festi, quod occurrit, proprii, juxta directorium breviarii semper cantentur, nisi ob circumstantias loci id servari non posse Episcopus judicaverit.

Cantus vel hymni in lingua vernacula, in Missarum solemniis vel vesperis penitus reprobantur; in solemni vero Benedictione SS. Sacramenti, ea saltem cantentur, in lingua latina, quae juxta rubricas, ut cantentur, praescribuntur.

Monemus demum ecclesiarum nec non chororum rectores ut leges ad rem tanti momenti pertinentis rite addiscant ad amussim observent et ad officium cantorum in Ecclesia tales seligant, "qui quod ore cantant corde credant et operibus comprobent." Conc. Carthag. 4 Can. 10.

Omnes denique qui sacrae musicos dignitati et decori consulunt ac provident, quammaxime commendamus; monemus tamen ne partium studio arrepti in diversa sentientes, praesertim vero in auctoritatem Ecclesiasticam acriter animadvertant.

† Ego, *Gulielmus Henricus Elder*, Episcopus Avarensis, in Part. Inf., Coadjutor Archiepiscopi Cincinnatensis, definiens subscripsi.

† Ego, *Gulielmus Georgius McCloskey*, Episcopus Ludovicopolitanus, definiens subscripsi.

† Ego, *Augustus Maria Toebbe*, Episcopus Covingtonensis, definiens subscripsi.

† Ego, *Caspar Henricus Borgess*, Episcopus Detroitensis, definiens subscripsi.

† Ego, *Ricardus Gilmour*, Episcopus Clevelandensis, definiens subscripsi.

† Ego, *Joseph Dwenger*, Episcopus Wayne-Castrensis, definiens subscripsi.

† Ego, *Franciscus Silas Chatard*, Episcopus Vincennopolitanus, definiens subscripsi.

† Ego, *Joannes Ambrosius Watterson*, Episcopus Columbensis, definiens subscripsi.

Ego, *Ricardus Scannell*, Administrator Nashvillensis, sede vacante, definiens subscripsi.

Cincinnati, hac 19ª *Martii*, 1882.

Concordat cum originali.

Camillus Paulus Maes,
Notarius Concilii.

LITTERAE PATRUM

Concilii Provincialis IV. Cincinnatensis ad Summum Pontificem.

BEATISSIME PATER:

Charitati, qua erga oves nobis concreditas urgemur, benigne favens, veniam Concilium Provinciale Cincinnatense Quartum habendi, Litteris S. C. pro Christiano Nomine Propagando die 5ª Sept. 1881, datis, con-

cessisti. Die 5ª Martii hujus anni convenimus in Ecclesia Cathedrali, Cincinnati, praesidente Illmo. ac Rmo. Dno. Dno. Gulielmo Henrico Elder, Coadjutore Illmi. ac Rmi. Archiepiscopi infirmi et absentis. Die vero Sancti Patriarchae Joseph sacro Concilio finem imposuimus. Liceat nobis Tibi, Beatissime Pater, gratias ex corde agere pro insigni hoc beneficio, quo fore ut magnae rerum ecclesiasticarum in patria nostra incolumnitati prospiciatur, omnibus in votis est.

Antequam ad nostra revertamur, volumus insuper, Beatissime Pater, grati animi nostri sensus significare pro omnibus quae in bonum Ecclesiae, opitulante Deo Omnipotente, perfecisti. Recedente Decessore Tuo f. r. Ecclesiae Universalis, praesertim vero in hisce Statibus Foederatis Americae Septentrionalis, benefactore eximio, quam ingenti dolore fideles omnes fuerunt affecti! Quam anxia de rerum exitu fuit sollicitudo! At Deus Misericors, vere omnium nostrorum Pater, filiis suis solatium conferens, auxilium utilissimum atque optatissimum praestans, Te Beatissime Pater, Ecclesiae Ducem constituit, menti Tuae et cordi alta et ardua inspirans, summo in periculo regno Suo feliciter providit. Errores enim efficacius depulit, veritates clarius illustravit, regiones dissitas Asiae et Africae illuminavit, fideles mutuae charitatis vinculo arctius conjunxit; amorem et aestimationem Ecclesiae magnopere ubique auxit. Ne omnia, quae pro gloria Dei operatus es, verbis referamus, quam maxime, Beatissime Pater, laudare cupimus, quae per Litteras Encyclicas Tuas, praesertim de Matrimonio Christiano, De Disciplinis Philosophicis, duce Divo Thoma, necnon de Auctoritate Civili, mira eruditione, summa scientia, et ardentissimo zelo, pro Christi Ecclesia fecisti.

Maximum equidem hisce doctrinae capitibus enucleandis fuit opus, splendidissima exinde terrarum orbi effulsit lux. Precamur ut Tibi per longos annos Deus concedat vitam, salutem, sapientiam suam, ut per arida et aspera hujus mundi ad terram promissionis populum Suum laboribus fractum, pugna exhaustum, aquam vitae aeternae sitientem feliciter dirigere pergas.

